REPERTORIUM
REMEDIORUM INDIGENORUM
EXOTICIS IN MEDICINA SUBSTITUENDORUM.

SIVE

RESPONSUM
AD PROBLEMATA:

Quænam dantur substantiæ indigenæ simplices vel compositæ quæ in curatione morborum exoticis medicamentis prospere substitui possunt?

ET

Quibus adminiculis opportunissime in usum universalem inducentur pharmaca indigena, ubi jam exoticis analogis virtute paria aut superiora agnita fuerint?

Cui palmam adjudicavit Societas Medicorum Burdigalensis in Sessione sua 30 Augusti 1809.

AUCTORE *P. E. WAUTERS*,

Apud Gandenses nosocomiorum medico primario, Epidemiis Circuli Gandavensis præposito, Commissionis Vaccinatorum præside, Concilii (Jury) medici divisionis Scaldeos membro; Societatis scholæ med. Parisinæ, Societatum medicinæ practicæ Monspeliensis et Parisiensis, Societatum Medicorum hujusce Urbis, uti et Burdigalensis, Bruxellensis, Antverpiensis, nec non Emulationis ejusdem civitatis sodale.

G*ANDÆ*,
Apud CAROLUM DE GOESIN-DISBECQ, Typographum, in platea, dicta *Majorlynstraete*, litt. S, N° 5.

1810.

OPUSCULA EJUSDEM AUCTORIS.

Dissertatio botanico-medica, &c. sive Responsum ad quæstionem hanc: *Quænam sunt plantæ Belgicæ, quas exoticis, respective ad varios vitæ usus substituere possumus?* quod anno 1783, quoad argumentum med., Cæsar. Reg. Academ. Scient. et Litt. Bruxellensis publicum applausum retulit. *Gandavi, apud* J. F. vander Schueren, 1785.

Epitome Dissertationis coronatæ *Cel.* BURTIN de aliquot plantarum exoticarum Succedaneis in Belgio reperiundis. *Ibid* 1785.

Responsum ad Quæsitum: *Quæ tum medica, tum politica præsidia, adversus periculosos Inhumationum præfestinatarum abusus?* Cui palmam detulit Cæsar. Reg. Acad. Superius dicta 1787. *A Bruxelles, de l'Imprimerie académique*, 1788.

Gekroonde Verhandelinge, tot antwoord op de vraeg: *Aen te toonen de Inlandsche Gewassen, bekwaem om Oliën te macken, die men met goeden uytval en zonder gevaer zoude konnen stellen in de plaetse van d'Olyf-Olie; over de maniere van deze Oliën te bereyden en te bewaeren; en eyndelyk over hunnen prys, onderstellende eenen gegeven prys van de stoffen waer uyt men de zelve trekt.* Gekroond door de Keyzerlyke en Koningl. Acad. der Wetenschappen en Letterkunde van Brussel, ten jaere 1788.

Huys- en Reys-Apotheek van den Ridder en Zweedsch-Koninglyf-Arts ROSEN VAN ROSENSTEIN: uyt het Hoogduydsch vertaeld en met Notes voorzien. *Te Gend*, by Bernard Poelman.

Dissertation sur la manière de faire l'*Uytzet* et sur sa Salubrité, comparée avec celle de autres Bières et autres Boissons (Vin, Thé, Caffé, Eau, &c.).... *A Gand*, chez Charles de Goesin, an VI. (1798 v. st.)

Tractatus de Exutoriorum delectu, concinnatus ex binis dissertationibus in Soc. Reg. Med. Parif. annis 1790 et 1791 successive præmio æmulationis honestatis.

Essais Pratiques sur quelques remèdes usités à l'Hôpital civil de Gand. *Gand*, 1807.

Handboek voor den dienst der Zieke, door M. CARRERE, uyt het Fransch overgezet. *Gend*, 1808.

Commentarius de Dysenteria. *Gandæ*, 1810.

Repertorium Remediorum indigenorum exoticis in medicina substituendorum.

EXTRAIT

De la Séance publique de la Société de Médecine de Bordeaux, du 30 Août 1809.

PLUSIEURS *Mémoires sont parvenus à la Société; mais trois seulement ont mérité de fixer son attention, d'une manière honorable. Le premier écrit en latin, et portant pour épigraphe:* Trahimur peregrinis et exoticis, domestica vero et indigena despicimus. (*Baglivi, prax. med.*) *présente dans l'ordre alphabétique, le tableau des connaissances acquises sur les vertus des médicamens indigènes comparés avec leurs analogues exotiques. L'auteur ne s'est point laissé égarer par l'enthousiasme toujours funeste en médecine; il n'exagère point les vertus des médicamens dont il désire généraliser l'usage; il assigne avec précision leur dégré de vertu; il rapporte avec candeur les cas dans lesquels ils ont été insuffisans; il joint aux observations pratiques des auteurs les plus estimés, celles très-nombreuses qui lui ont été fournies par sa propre expérience pendant vingt-cinq années qu'il a exercé la médecine dans la campagne, et depuis, dans une grande ville où il a recueilli les observations de plusieurs Médecins distingués.*

Quoique l'auteur n'ait pas complétement atteint le but proposé par la Société, ce qui est peut-être impossible dans l'état actuel de la science; quoiqu'il laisse beaucoup à désirer sur le remplacement des principaux médicamens exotiques, tels que le quinquina, l'opium, le camphre; cependant, en considérant que son travail, fruit de longues recherches, sera très-utile pour propager des connaissances exactes sur les vertus des médicamens indigènes, et pour faciliter le traitement des maladies des pauvres, sur-tout dans les campagnes, la Société s'est déterminée à lui adjuger le prix.

L'auteur est M. PIERRE-ENGELBERT WAUTERS, *premier Médecin des hospices de Gand, membres de plusieurs Sociétés savantes.* (*)

(*) Le Savant Mémoite de Mr. BODARD, M. D. &c. &c. qui a été jugé digne de *l'Accessit*, vient aussi de sortir de la presse.

PRÆFATIO.

Meum est ùt cujusque boni Civis, quæ novimus Statui et Gubernio utilia in publicum conferre. Indigena et domestica medicamina exoticis substituere non minimi inter ea momenti esse arbitror: hac ratione etenim ingentes summas domi nostræ conservabimus quæ ad exteros quotannis transferri solent; quod probare superfluum foret. Hanc parcimoniam possibilem esse, pulchre nos docet Hufeland in suo diario med. pract. XXI *Band.*, 3.tes *Stük.*, *pag.* 170., ubi non dubitat asserere, se in Clinico Jenensi (quod cum D. Loder Consiliario intimo et cum D. Professore Succow octo annos direxerat et ubi magno numero ægrorum parvo pretio pharmaca procurare opportuerat), experientia dedicisse, cum certitudine statui posse, apud duas tertias ægrotorum medicamina indigena in locum exoticorum surrogare licere. Hoc posito, demonstrare valerem, inquit *ibid. pag.* 175, minimùm medietatem ægrorum ea methodo, non tantum præterpropter, sed perfecte æque prompte sanandam fore, ac si exotica adhiberentur.

Hac eadem persuasione perpetuo imbutus

et crebrâ firmatus experientiâ, conari non destiti, quavis data occasione cum pluribus celeberrimis doctissimisque Viris symbolam meam colligere atque conficere, tempore opportuno in commune conferendam. Quousque pervenerim et quid frugis attulerim Clarissimi æquissimique judices nostri cernent.

" Omnia experiri medicamenta, vita hominis non sufficit ", sed " Nulli rei fides habenda est, cui experientia non respondet ". Ut fert SCHUSTER, *Nov. Act. N. C. T. II. App. p.* 236 et *p.* 241. Ea ego experiri sategi in quæ præ cæteris fiduciam collocare posse mihi videbar, hæcque aliquatenus numerosis periculis subjeci, et fideliter expressi eventus cunctos, tum prosperos tum adversos; ita enim " Ex datis cognitisque inter sese comparatis novæ demum exurgunt, atque antea nondum cognitæ veritates ", infit STOLL, *Rat. med. Part. III, Præf. p.* 1. Eam sinceritatem tanto magis necessariam duxi, quoniam vix de valore cujusvis succedanei certum judicium ferri potest, nisi successus boni et mali comparative considerentur.

Exotica non pro dignitate quæque sua, sed secundum ordinem alphabeticum in catalogum reducam, et cuique illorum indigena, plerumque juxta efficaciæ ordinem, subnectam.

Sic, puto, repertorium meum commodius evadet.

In substituendo non quæram eam substantiarum quoad principia constituentia, quoad proprietates, quoad effectus identitatem, quam D. Hahneman rem æmulandam inter et æmulam requirit; ita ut secundum ipsum, saporem et odorem eosdem, eadem principia et prorsus eosdem omni casu effectus habere deberent: sic revera, quod contendere videtur, vera succedanea nulla darentur. Modo finales effectus medicinales rei substituendæ, si non penitus iidem, saltem quovis modo analogi similesve reperiantur, recte ejusmodi rem eam esse quam Illustres Censores quærunt existimabo, sive iisdem constet principiis sive non, quinimo, etiamsi e diverso naturæ regno foret desumpta, quæ tamen principiis inter se conveniunt cæteris paribus præferens.

Multivariis utar plantarum denominationibus, nam (ùt fatur Linnæus *Spec. plant. Lectori æquo*) " Caveant quam sanctissime „ omnes sani Botanici, unquam proponere „ nomen triviale sine sufficienti differentia „ specifica, ne ruat in pristinam barbariem „ scientia ". Malui doctioribus paulo prolixior videri, quam justo obscurior minus doc-

tis, qui semper numero majori sunt, et fortassis hoc opusculo aliquando uti possent. In horum gratiam quoque dicenda stylo ac latinitate simplicissimis et intellectu facillimis complectar.

NOTA:

Præmio jam mihi addicto, Lectoribus aperire licet, me opuscula mea anteriora hic citavisse ceu tertiæ personæ, quo minus inter dissertationes dijudicantibus notescerem.

Eamdem ob rationem Collaboratorum aut ægrorum nomina in meis observationibus sæpe celare coactus fui.

Ut Repertorium hoc sub legum prodeat tutela, Exemplaria duo in Bibliotheca Cæsarea locata sunt. P. E. Wauters,

REPERTORIUM

REMEDIORUM INDIGENORUM

EXOTICIS IN MEDICINA SUBSTITUENDORUM.

ACACIÆ *veræ Ægyptiacæ* et *Arabicæ*, sive *succo inspissato fructus immaturi Mimosæ niloticæ LINNÆI*,

SUBSTITUITUR:

1° Succus inspissatus fructus immaturi fruticis nostratis, qui vocatur, PRUNUS *Spinosa. LINN.*
Prunus Sylvestris. BAUH. pin. 443.
. . . . *DOD. pempt.* 753.
Gallice, *Prunelier*, *Prunelle*, *Prunier sauvage*, *Acacia indigène.*
Belgice, *Wilden Pruym-Boom*, ofte *Sleedoorn* of *Slee-Pruym.*

In sepibus nostris obvius frutex et quandoque in sylvis sine cultura nascitur.

Succus fructuum nondum maturorum austerus et adstringens, exprimitur et lento igne in vase fictili inspissatur. Sic apud pharmacopœos sub nomine Acaciæ Germanicæ prostat.

Jam a seculo XVI. seu a tempore *Prosperi Alpini* hæc priori substituebatur a pharmacopolis Patavis et Venetis (*a*). Approbarunt hanc substitutionem *Simon*

(*a*) Vid. PROSPERUM ALPINUM, de plantis Ægypti, Lugduni Bat. 1735. T. II, p. 7.

Paulli (*b*), *Farvacus* (*c*), *Boerhaavius* (*d*), *Chomel* (*e*), *Geoffroy*, *Zorn*, *Bartholinus*, *Schwenke*, *Desbois de Rochefort*, *Burtin*, *Cullen &c.*

" Inter succedanea quæ veræ Acaciæ succo sub-
,, stitui possint, ait *Simon Paulli*, nullum eo (succo
,, pruni sylvestris) a medicis practicis convenientius
,, existimatur ". *Cullen* (*f*) asserit, succum Acaciæ jam a longo tempore in pharmacopoliis anglicis non amplius notum esse, et ut videtur, jure merito neglectum. Vis ejus adstringens (addit) nil peculiare habet, præ aliis substantiis quas nobis facilius comparamus.

Paulo ante refert, in Corsica paucos haberi fructus, sed efficacissimum esse prunum sylvestrem, qui ipsi videbatur adstringens, gratus et utilis. Cum vero succum inspissatum non satis solubilem et minus efficacem credat, admodum apposite, inquit, jam ex eo conserva componitur; sed juxta ipsum Londinenses et Edinburgenses nimium sacchari huic addunt. *Schwenke* dicit, substitutionem hanc in Hollandia, patria sua, passim locum habere (*g*). *Bartholinus* et *Medici Hafnienses* nostratem omni casu præferendum putant; cum, ut aiunt (*h*) " Acaciæ ægypticæ dubia esse possit fides ".

Igitur substitutio hæc antiquitus probata stetit, et perstat ubique fere gentium, ut citatorum diversæ patriæ Auctorum testimonio patet.

Novimus omnes succum Acaciæ nostræ potenter refrigerare et adstringere. Ægyptii multum adhibent Acaciam suam in dysenteria, familiari apud ipsos morbo. Inaudivi aliquando, quum epidemiis dysentericis rure interessem, rusticos plures fructus Acaciæ suæ edendo se ipsos feliciter sanavisse.

(*b*) Quadripartiti botanici, Argentorati, 1667. p. 13.
(*c*) *Droôg-bereydende Schat-kamer*, *part. II*, *p.* 266.
(*d*) Hist. plant. Londini, 1738. p. 488.
(*e*) *Abrégé de l'hist. des plantes usuelles.. Paris*, 1730. *T. I*, *p.* 9 *et T. II*, *p.* 639 *seq.*
(*f*) *Traité de mat. med. Paris*, 1789. *T. II*, *p.* 44.
(*g*) *Kruidkundige beschryving. 's Graevenhage* 1766. *p.* 310.
(*h*) Act. med. et phil. Hafnienf. T. I, p. 3.

Generaliter tam una quam altera Acacia cum emolumento exhiberi potest, ubi fomite pulso, diathesis inflammatoria abest, aut omnino transiit, in alvi et sanguinis profluviis et ubi primæ viæ roborandæ occurunt. Valet etiam externe, dissoluta in fomentis adversus partium laxitatem, leves et recentes oculorum inflammationes, in gargarismatibus adversus ejusmodi, nec non serosas benignasque anginas &c.

Dosis utriusvis in forma pilularum vel boli, vel solutæ in liquidis, juxta *Chomel* est maximum drachmæ unius. *Rieger* tamen a gr. xij. ad dr. ij. eam statuit (*i*). Considerans quam possidet et quam nonnunquam gustavi summam ejus adstringendi vim, ultra drachmam non ascenderem. In fomentis et gargarismatibus dosis haud scrupulose limitanda.

Eximia ex fructubus et succo cerevisia medicata a Germanis paratur: vindemiarum tempore illos cerevisiæ ordinariæ indunt, quo adeo gratum saporem illi conciliant, ut hæc veteri vetusto vino rubello non cedat. Hujus cerevisiæ, adinstar succi inspissati, usu, fluidiorem alvum adstringere, immoderatum mensium fluxum moderari, ventriculum roborare, multis in casibus convenire quiret.

SUBSTITUITUR:

2° Succus inspissatus fructuum VACCINII *myrtilli. LINN.*
Vitis idææ, foliis oblongis crenatis fructu nigricante. BAUH. pin. 470.
Vacciniæ nigræ. DOD. pempt. 768.
Gallice, *Brinbelle.*
Belgice, *Craeke-bezien* en *Blauwe-Bessen.*

Crescit hæc planta in regionibus Galliæ septentrionalioribus in sylvis umbrosis.

(*i*) Introduct. in not. rerum natur. et arte fact. Hagæ Com. 1743 T. I, p. 26.

Succus ille virtute quoque gaudet adstringente.

3° Succus
ASARI *Hypocistidos. LINN.*
Hypocistidos. BAUH. pin. 465.
. . . . *DOD. pempt.* 191.
Gallice, *Hypociste.*
Belgice, *Hypocist.*

Est herba parasitica, quæ increscit super radices *Cisti Monspeliensis* et super diversos *Cistos* in Gallia meridionali et in Turcia.

Succus ejus inspissatus, niger, splendens adinstar Orobanchæ, acido-austerus et adstringens est. Valet ut succus Acaciæ ad roborandum, adstringendum, inspissandum in variis profluviis. Vires adstringentes Acaciæ succo majores habet; si partem roborare consilium sit, inquit *Galenus*, quæ videlicet plusculo humore exoluta fuerit, robur et firmitatem illi non imbecilliter addit (*k*). Nihili facio quod succedaneum hoc resinosius sit, seu, aliter ac succus Acaciæ, totum fere in sp. vini solvatur.

Dosis et exhibendi modus hic eadem sunt pro utrisque.

ACORO *Indico* et *Brasiliensi* seu *Calamo aromatico radice tenuiore*, *HERM.*

SUBSTITUITUR:

ACORUS, *Calamus. LINN.* sp. 462.
Acorus verus seu *Calamus Aromaticus officin. BAUH. pin.* 34.
Acorus. DOD. pempt. 396.
Gallice, *Vrai Acorus.*
Belgice, *Acorus* ofte *Lisch met welriekende bladeren* of *Calmoes.*

Crescit in paludibus, eminet tota ex aqua et tota decurrit

(*k*) Vid. CRANTZ, Mat. med. et chir. Lovanii, 1772. T. II, p. 28.

horizontaliter supra aquam in limo riparum, et fibræ aquæ inhærent.

Planta hæc indigena infit Celeber. *Burtin (l)*, quæ stomachica, carminativa et emmenagoga virtute pollet, substituitur arondini odoriferæ, cujus extrema raritas potius quam analogia, per totam Europam substitutionem hanc peperit; nominis similitudo non parum ad hoc contulit, cum pharmacopœi has substantias penitus confundant, etiamsi nostras sit radix et exoticus Acorus sit caulis plantæ arondinaceæ. Optimi practici addit hic auctor, nullam in utriusvis effectibus differentiam reperiunt: testes citat *Cartheuserum*, *Hermann*, *Buchan*, *Bomare &c.*; addo et *Ettmulerum* (*m*). " . . una cum Monardo et Mathiolo Calamum aro-„ maticum vulgo dictum pro legitimo Acoro usurpa-„ bimus", ait *Smetius (n)*; ita et *Georg. Melichius*; *(o)* tandem consuli posset *J. A. Murray (p)*.

Dosis radicis pulverisatæ est drachmæ unius, sed juxta aliquos grana vj ad xij sufficiunt: respiciendum an casus urgeat: in glutinoso spontaneo v. g., in scorbuto, &c. sufficere posset minutula ejusmodi dosis, at sæpe repetita: in colica flatulenta vero conveniret major. In extracto datur ad scrupulum unum; in infuso ad unciam semissem. Exhibetur in vino burgundico vel in alio vehiculo stomachico; dum conditur quo gratior evadit, partem suæ efficaciæ deperdit: etiam secundum *Crantzium* decoqui non debet; verum infinitos lotii suppressione laborantes ejus decocto ex vino tenui facto se restituisse testatur *Fallopius*. Contra scorbutum nautis familiari in usu est, infusa aut in taleolas secta recens; ideo quibusdam radix nautica dicitur. Vidi bonos ejus effectus in debilitate ventriculi,

---

(*l*) *Mémoire couronné, an* 1783, *par l'Acad. de Bruxelles. p.* 23.
(*m*) Op. omn. Genevæ, 1736. T. I, p. 600.
(*n*) Miscellan. med., Francofurti, 1611. p. 470.
(*o*) Dispens. med., Francofurti, 1601. p. 132.
(*p*) Apparat. medicam. T. V, p. 40.

dyspepsia et vomitu, ait *Chomel (q)*. *Simon Paulli*, *Solenander* et *Köning* illum commendant qua carminativum, addito pauco pulveris cort. aurant. et ex cyatho vini veteris sumptum. *Hermann* qua emmenagogum, antihydropicum et antiscorbuticum illum laudat.

AGARICO seu *Fungo igniario exotico*

SUBSTITUITUR:

Indigenus, sive
BOLETUS *igniarius*. *LINN.*
Agaricus, pedis equini facie. TOURN. Instit. 562.
Fungus in caudicibus nascens, pedis equini figura. BAUH. pin. 372.
Fungi arborum. DOD. pempt. 399.
Gallice, *Amadouvier.*
Belgice, *Boom-campernoelien, Zwammen.*

Nascitur forma fungi in trunco aut magnis ramis plurimarum arborum; veterum quercuum, juglandum, ulmorum, betulorum, fagorum &c., imo et doliis in cavea diu locatis superincrescit. *Rayus* methodum docet eum præparandi *(r)*. Perfacilis est manipulatio hæc: coquitur in lixivio, siccatur dein, contunditur, et denuo coquitur in aqua nitrosa.

Usurpatur, ut vulgo notum, fomitis vice, ad excipiendas ignis scintillas; sed etiam a chirurgis applicatur vulneribus externis et in aneurismatibus spuriis, ad sistendum sanguinem, idque egregio cum effectu, velut sagacissimus practicus *De Haen* per experimenta demonstravit (*s*).

In hunc scopum quoque inservit planta dicta: *Crepitus Lupi*, *Lycoperdon.* Fungus hic lamellatim quoque adhibitus, pariter ac Agaricus tum exoticus tum indige-

(*q*) Ibid. p. 181.
(*r*) Hist. plant. T. I, p. 108.
(*s*) Prælect. in BOERHAAVII instit. pathol. Vienn. 1782. T. V, p. 416.

nus, absorbendo et forsan alia virtute, magnas stitisse hæmorrhagias deprehensus est, teste eodem *Haenio* (*t*).

ALUMINI *Romano* et *Anglicano*

SUBSTITUITUR:

Alumen Leodiense vel *Miseriense*.

Nullam inter illa differentiam observari, saltem quoad vires medicinales, omnibus medicis, puto, ratum habetur.

AMMEOS *veri* sive *Cretici* sive *Cumini Æthiopici* semini

SUBSTITUITUR:

Semen AMMEOS *majoris*. *LINN.* sp. 349.
. . . . *BAUH. pin.* 159.
. . . . *Vulgaris*. *DOD. p.* 307.
Gallice, *Ammi vulgaire* ou *majeur*.
Belgice, *Groot* of *gemeyn Ammi*.

In Galliæ tractibus meridionalibus suæ spontis est; alias in hortis facile colitur et tam facile producitur ut deinceps vix extirpari queat.

Forma exteriori non multum a Cretico differt. Semen est unum ex quatuor seminibus calidis minoribus. Viribus suis calefacientibus, carminativis, diaphoreticis, emmenagogis cum semine prioris prorsus convenit; ast dosi $\frac{1}{4}$ majori exhibeatur oportet.

Cullen (*u*) hanc substitutionem jam dudum in Anglia introductam comprobat, quia semen Ammios veri bonæ qualitatis difficulter obtinetur et non nisi viribus paulo debilioribus ab hocce differre opinatur. *Vogel* (*v*), *Car-*

(*t*) Rat. med. Vol. I, p. 265 seqq. Vol. II, p. 80, 81, 233 et 234.
(*u*) Ibid. T. II, p. 164.
(*v*) Mat. med., p. 173.

theuser (*w*), *Rieger* (*x*), *Burtin* (*y*) eadem sunt sententia.

Summa dosis est drachmæ unius cum vino, jure carnium, vel lacte sumptæ.

AMOMO *racemoso* sive *Amomo scapo ramoso brevissimo. LINN.*

SUBSTITUITUR:

JUNIPERUS *communis. LINN.*
Juniperus vulgaris fruticosa. BAUH. pin. 488.
Juniperus. DOD. pempt. 852.
Gallice, *Genevrier.*
Belgice, *Genevel-Boom.*

Hanc plantam cultam obviam habui apud rusticos, qui in morbis contagiosis boum baccas in suffimenta ad aërem purificandum adhibent. Sed et ubique fere regionum invenitur quandoque sponte crescens in locis arenosis incultis et in sylvis.

Baccæ juniperi nostræ non secus atque fructus *Amomi racemosi* sive *granorum paradisi*, item ut *Carpobalsamum*, stomachicam, carminativam, incidentem et diureticam virtutem possident sat eximiam, et juxta *Farvaque's* iis recte substituuntur (*z*); balsamorum nativorum terebinthinaceum quasi saporem habent.

Per se manducantur aliquando, vel cum aliis pulverisatæ dantur ad drachmam semis; vel contusæ ad unciam semis aut ad integram infunduntur libræ uni aquæ. Rob earumdem Germanorum theriaca dicitur, ob usum diaphoreticum. Datur in renum morbis ab *Hoffmanno* a drac. ij. ad unc. semis; vel per se exhibetur vel in theato Juniperi (*a*).

(*w*) Mat. med. T. III, p. 477.
(*x*) *Ibid. T. I, part. II, p.* 485. *Confer.* J. BAUH. *T. III, part. II, p.* 27., *item Diction. univ. de mat. med.*
(*y*) *Ibid. p.* 29.
(*z*) *Ibid. Part. II, p.* 266. *Vid. et* BURTIN *Ibid. p.* 101.
(*a*) CRANTZ, *ibid. T. I, p.* 109.

AMYGDALO *exoticæ*

SUBSTITUITUR:

Gallica.
AMYGDALUS *communis. LINN.*
Amygdalus sativa. BAUH. pin. 441.
Amygdalus. DOD. pempt. 798.
Amygdalæ dulcis nuclei;
et
Amygdalus amara. TOURN. 627.
Amygdalæ amari nuclei.
Gallice, *Amandier.*
Belgice, *Amandel-Boom.*

Crescunt in Africa; sed etiam in Gallia meridionali. Se delectat in solo levi, sabuloso et saxoso; aversatur solum grave et humidum. De cultura Amygdalorum possunt legi *Rosier* et *Bernard de Marseille* (*b*).

Amygdalus amari nuclei non differt specie ab Amygdalo dulcis nuclei, est tantum varietas, nam infit *D. Desfontaines*, si semuntur amygdalæ dulces, aliquæ sæpe plantæ inde exurgunt, quarum nuclei amari sunt, et vice versa (*c*).

Oleum horum fructuum recens expressum, non rancidum, apprime convenit, ubicumque acre temperandum, rigidum emolliendum, ac strictum laxandum, usu tam interno quam externo. Hinc in emulsionibus Amygdalæ præscribuntur maximo cum fructu, pro emaciatis, hecticis, pleuriticis, modo recentes non rancidæ sint et febris non sit intensior. Venenum ubi assumptum est acre, a noxa inferenda oleum lubricitate sua, qua ventriculum oblinit, prohibet. Egregium est antispasmodicum atque sedativum; in colica spasmodica,

---

(*b*) *Vid.* DESFONTAINES, *Hist. des arbres et arbrisseaux qui peuvent être cultivés en pleine terre, sur le sol de la France. Paris*, 1809. *T. II, p.* 223.
(*c*) *Ibid. p.* 21.

in nephritide calculosa, ad dolorificas stricturas etiam externe laxandas &c. In omnibus his casibus Amygdalæ nostrates præ exoticis valent, qua ordinarie certiores esse possumus, eas non esse mixtas vetustis et rancidis.

Sed et alia illarum oleo et emulsioni surroganda habemus, nempe oleum et emulsio

Tuberorum CYPERI *esculenti LINN.* quæ hic facillime nunc colimus;

Seminis PAPAVERIS ALBI, rite ex semine recenti parata;

Seminis LINI, eodem modo præparata, si virtutes, minus vero saporem consulimus; tandem

Butyrum nostrum recens oleo Amygdalarum omnino par est.

De posterioribus latius agere lubet.

1° PAPAVER, *somniferum. LINN.*
Papaver hortense semine albo et nigro. BAUH. pin. 170.
Papaver album DOD. pempt. 730.
Gallice, *Pavot blanc.*
Belgice, *Witten Heul* ofte *Maencop.*

Apud nos in agris et hortis abunde colitur.

Semen ejus largitur oleum, " quod refert saporem „ olei Amygdalarum dulcium et vires habet easdem" testante *Boerhaavio (d).* Juxta *Rosier (e)*, mite est admodum, non tamen sine sapore, nec rancescentiæ subjectum. *Je suis assuré par ma propre experience que l'huile de Pavot . . . se conserve au moins trois années sans acquerir la rancidité . . . . .* infit (*f*). . . . additum oleo olivarum, hujus acrimoniam corrigit et ei amygdalinum conciliat saporem. Nec

(*d*) *Hist. plant. p.* 360.
(*e*) *Traité sur la meilleure manière de cultiver la Navette, etc. Paris*, 1774. *p.* xvij.
(*f*) *Ibid. p.* Lviij.

quam non possidet vim somniferam, timenda, prout agnovit Academia scientiarum Parif. (*g*). Convenit cum oleo amygdalino aliisque oleis unguinosis, virtute sua laxativa: etenim pluries præscripsi rusticæ quatuor uncias hujus olei unica vice sumendas: hæc inde bis terve alvum deponebat, çum antea constipata esset; numquam experta est vel minimam somnolentiam. In aliis casibus aliis personis sæpius duas tresve uncias pro dosi exhibui eodem constanter cum eventu. Usum hujus olei in praxi mea rurali universim loco amygdalini amplectebar, postquam oleum Lini, quo etiam plurimos annos usus eram, ob saporem minus gratum (*) deseruissem; tanto magis, quod etiam in usum culinarem Papaver abunde coli jubebam. Sumitur solum sine ullo additamento, vel cum syrupo aliquo congruo, vel cum pauco sacchari albi. In emulsionibus videtur *Fothergill* (*h*) hoc semen amygdalis præferre: adhibet unciam dimidiam seminis recentis pro libris duabus aquæ, ceu remedium anodynum demulcens in phthysi pulmonali. Id constituit inquit, *an excellent emulsion and unexceptionable.*

2° LINUM *usitatissimum. LINN.*
Linum sativum. BAUH. pin. 214.
. . . . . . *DOD. pempt.* 533.
Gallice, *Lin.*
Belgice, *Vlasch.*

Inter fruges quas Flandrorum terra edit, nulla pretiosior et quibusdam in locis vix ulla uberior.

Oleum ejus frigide sive absque igne expressum viribus medicinalibus egregiis pollet, in asperitate pectoris, inflammatione renum calculosis præsertim orta con-

---

(*g*) *Extrait des Registres du* 26 *Mars*, 1774.

(*) Non ita tamen ingratum est, quin Hongari, dum recens est, illud in deliciis habeant. Ephem. N. C. Decad. 1. Ann. 1675 et 1676. Obs. 209.

(*h*) *The works of* JOHN FOTHERGILL. *London*, 1783. *Vol. II*, *p.* 134.

cretionibus, in colica spasmodica et aliis affectibus spasmodicis, &c. " . . . . Oleum seminum Lini ait *Baglivius* (*i*), ab omnibus laudatur pro maximo re„ medio contra pleuritidem, quodque raro fallit, quia „ oleosa substantia pulmonum fibras inflammatione con„ tractas crispatasque et ob id fluidorum circulum im„ pedientes laxat, lenit et in pristinum restituit. . . . „ Sit autem recens expressum, alias ingratum erit et „ proinde noxium. " *Gesnerus* oleum Lini loco olei amygdalini epotum, egregium remedium in pleuritide esse scribit, id quod *De Haen* qui Gesnernm citat, experientia comprobat (*k*). Cum rure medicinam, profecto locupletissimam exercerem, oleum hoc cum anatica parte syrupi althææ per 7 vel 8 annos in pleuritide, præsertim ubi tussis nimium vexabat; et febris non erat vehemens, adhibui, semper cum desiderato eventu, imitatus D.num *Van Bosterhaut* medicum Gandavensem, qui, ubi jam in praxi abundantissima senuerat, asserebat, se plus centies hoc oleum loco amygdalini in hoc morbo præscripsisse, et ne vel minimam efficaciæ differentiam observavisse. *Erhart* (*l*) id etiam in eodem casu divinum dicit demulcens. In ephem. N. C. mentio fit tussis epidemicæ hæmoptysibus stipatæ, quæ passim hoc oleo sanabatur (*m*). In hæmoptysi etiam valere quatuor exemplis probat *D. Michel* (*n*). In colica et in pertinaci alvi adstrictione illud optimum esse remedium, testatur *D. Lintin* (*o*). In alio tandem particulari casu, scilicet in phlogosi et excoriatione intestinorum id ego singulariter prodesse vidi. Rusticus dives et avarus, in pago nobis vicino habitans, a fabro ferrario remedium purgans exposcebat: hic autem

---

(*i*) Praxeos med. Lib. I, p. 38.
(*k*) Rat. med. Vol. III, p. 341 seq.
(*l*) Aeconom. Pflantzen-Hist. 1. B. p. 37 seq.
(*m*) *Vid. Coll acad. part. étrang. T. III, p. 307.*
(*n*) *Journ. de méd. T. XVII, p. 41 seq.*
(*o*) Beobatchungen. Göttingen/ 1774. p. 194.

dat ei parvum fructum colocynthidos, commendans ut illum minutim concideret, in spir. vin. infunderet &c. Rusticus mandata exequitur, sed fructum ita præparatum unica vice devorat. Brevi terribilia tormina et dein dejectiones cum tenesmis violentissimis sequebantur. Aliquatenus tamen pacabatur et tormenta sat patienter initio ferebat cresus noster, applaudens summæ excrementorum abundantiæ. Ast aliquot post horis, sub intolerabilibus intestinorum torminibus, vix fæces sed copiosissimus cruor alvo reddebatur et æger vix sellam perforatam deserere quibat, quin pomum diaboli (ut cum *Solenander* loquar) produceret *une sauce de diable* in rustici braccas. Res seria evadit: continuis mere cruentis secessibus doloribusque ineffabilibus vires vitales ferme extinguuntur, ac tandem R. Dominus Pastor et ego accersebamur. Faciem inveniebam Hippocraticam, pulsum vacillantem fere extinctum &c. Mox porrigo largam copiam Olei Lini recentis ore et ano ingerendam. Sic homo duplici titulo sordidus, brevi solamen et intra duos tresve dies integram valetudinem nanciscebatur. Ab Oleo Amygdalarum vix tantum expectare licuisset. Experientissimus *Gallesky* medicus Tilsitsensis tot tantisque extollit encomiis Oleum Lini in illeo morbo, ut celebrem *De Haen* ad sui imitationem moveat, cum hic antea ob continuos in hoc morbo ordinarios vomitus, illud adhibere non fuerat ausus. Narrat horum prior id ad cochlear unum quavis hora in potu aliquo calido datum, etiam post stercoreum vomitum, salutem attulisse *(p)*, et novem experimentis dicta sua firmat *(q)*. *Van Swieten* etiam asserit, Oleum Lini ad libram potatum multoties homines in sævissmo ileo ab orci faucibus eripuisse (*r*).

Tandem notare juvat, oleum hoc pinguius esse Amygdalino et tardius rancescere.

(*p*) Vid. DE HAEN, Rat. med. Vol. III, p. 388.
(*q*) Abhandlung von Miserere. 1797.
(*r*) Comment. T. II, p. 147.

3° Quod Hispanis, Italis ac Gallis meridionalibus est *oleum*, id septentrionalioribus est *butyrum*. Hoc hi pro medicamento utuntur, ideoque Veneti illud appellant *Unto sottile*, id est subtile et tenue unguen.

Si *Butyrum* non sit rancidum nec salitum, promptum dat remedium externum in omnibus casibus saltem æquivalens cuivis emplastro vel unguento etiam emollientissimo; et interne in omnibus casibus in quibus dolores, spasmi, stricturæ demulcenda occurunt. D. *De Plaigne* medicus Monlussoniensis, qui mihi aliquot doctas et eruditas observationes communicare dignatus est, creberrime et feliciter Amygdalarum oleo *butyrum* surrogavisse notabat.

Hoc certe in quamplurimis Galliæ regionibus semper præsto est.

ANISO STELLATO seu *Badian, quod in Tartaria et insulis Philippinis*; *et* vulgari, *quod in Syria et Ægypto crescit et in Maltha copiose seritur* (*).

SUBSTITUITUR:

ANISUM *vulgare Gallicum.*
PIMPINELLA *Anisum LINN.*
Anisum herbariis. BAUH. pin. 159.
Anisum. DOD. pempl. 299.
Gallice, *Anis.*
Belgice, *Anys.*

Non est dubium quin Anisum vulgare in Gallia præcipue meridionali optime gigni queat, quandoquidem præclarus *Valentini* illud Bambergæ in Franconia coli et semen ejus inde in multa Germaniæ loca transvehi perhibeat; imo reapse in Turonia sat abunde semitur.

(*) Seritur hoc Anisum sive *Illicium anisatum* in hortis ab Amatoribus Gallis, et quidem Lovanii et Gandæ; sed ægerrime fert gelu. Hujusce folia nonnumquam olfeci et gustavi tum recentia tum siccata, et reperi odorem saporemque eosdem ac seminis: valde itaque aromatica sunt et non rejicienda.

Nec indiget alia præparatione, nisi ut ventilando probe sit depuratum a caulibus aliisque quisquiliis, quibus imprimis Venetum et Melitense defœdatum reperitur.

Semen est calefaciens carminativum, stomachicum et inter quatuor semina calida majora locum habet. Etiam virtus bechica eximia illi tribuitur. Convenit potissimum in atonia nervosa primarum viarum, ut celeb. *Alibert* reflectit (*s*).

Dosis forma pulveris a scrup. j. ad drac. j., infusi ab unc. ½ ad unc. j.

Varia ejus præparata extant apud *Crantz* (*t*).

Anisi stellati proprietates medicinales eædem sunt quæ *Anisi vulgaris*. Constanter commendatum fuit semen in atonia nervosa ventriculi, intestinorum et pulmonum. Interim *Alibert* hæc fatetur: *J'ai voulu tenter quelques expériences sur les propriétés de cette substance dans le courant de l'an X. à l'hôpital St. Louis, mais je n'ai receuilli aucun fait digne de remarque. Il faut peut-être continuer les essais* (*v*).

Utrique scilicet vulgari et stellato, etiam substitui posset semen *Fæniculi vulgaris*. Hæc planta vocatur:

ANETHUM, *Fæniculum. LINN.*
Fæniculum dulce. BAUH. pin. 147.
Fæniculum. DOD. pempt 297.
Gallice, *Fenouil.*
Belgice, *Venkel.*

Colitur in hortis.

Semen est quoque unum ex quatuor calidis majoribus, saporis dulcis aromatici, carminativum, stomachicum; verbo omnibus dotibus præditum quibus Anisum (*u*); solum sapore minus grato est. Experimenta *Bergii* hoc nutrientibus lac promovere demonstrarunt (*w*).

(*s*) *Nouveaux élém. de thérap. et de mat. méd. T. II, p.* 531.
(*t*) *Mat. de méd. et chir. T. I, p.* 98.
(*v*) *Ibid. p.* 534
(*u*) Vid. Dict. univ. de mat. med. ad TIT. ANIS.
(*w*) Nov. act. reg. soc. scient. Upsal. Vol. I, p. 104 seqq.

Forma pulveris datur a scrup. j. ad ij. scrup., infusi a semi unc. ad j. unc. Ex eo utiliter parantur : *Confectio.*, *aqua stillatitia*, *oleum stillatitium* et *spiritus*.

ANTIMONIO *fuso Hongarico*

SUBSTITUITUR:

Gallicum, præsertim *Pictaviense*, quod exacte prioris vires reddit *(x)*. Datur et *Alverniense*. *Celui de France est aussi bon et nous l'employons presque toujours* inquiunt Angli *(y)*.

ARNICÆ *Helveticæ* et *Bohemicæ*

SUBSTITUITUR:

Nostras, sive quæ in hortis nostris sata facillime provenit, etiam in regionibus borealibus *(z)*. Est autem

ARNICA *montana. LINN.*
Doronicum plantaginis folio alterum. BAUH. pin. 185.
Gallice, *Betonie des montagnes*, *Arnique.*
Belgice, *Valkruyd.*

Datur duplex sc. *foliis latioribus*, quæ maxime in usu est, et *foliis angustioribus*, quæ docente experientia *Gmelini* efficacior est *(a)*; cum sæpius quam prior vomitum cieat. Sed siqui ægri ex floribus anxietatem et spasmos circa præcordia sentiunt, hæ molestiæ post tres vel quatuor doses sumptas fere semper evanescunt.

Commendatur ob virtutem resolventem præcipue in casu ab alto; in paralysi et in diathesi septica; tandem

(*x*) *Pharm. du Coll. R. des méd. de Londres. T. I, p.* 27.
(*y*) *Pharm. de Londres, ibid.*
(*z*) Vid. CAELS. Diss. coron. de plant. Belg. Venenat. Bruxellis 1774, p. 15.
(*a*) Flor. Sibir. T. II, p. 158.

in febribus intermittentibus, de quibus in decursu latius.

De la Marche dedit herbæ pug. 1 vel 2 pro aquæ simplicis vel cerevisiæ mensura una, sed *Rosenstein* pugillos tres aquæ libra una coqui jubet *(b)*. Infusum florum paratur ex eorumdem drach. j. ad semi unc. cum aq. ferv. per dimidiam horam vase clauso digestorum, accedente ebulitione per medium horæ quadrantem, ut post ebulitionem libra una supersit, cui subinde syrupus admiscetur. Aliquando dupla quantitas infusi intra 24 horas consumitur, vasculo uno alternis horis hausto. Datur quoque aliquando electuarium ex drach. ij. vel iij. pulveris et mellis q. s., per diem consumendum *(c)*: extractum ex floribus paratum a drach. iij. ad iv. vel vj., per diem exhibetur dilutum.

AROMATIBUS *Orientalium*,

SUBSTITUUNTUR:

1° NIGELLA *sativa. LINN*
Nigella, flore simplici minore candido. BAUH. pin. 184.
Nigella. DOD. pempt. 304.
Gallice, *Nielle Romaine, Nielle des Jardins, Nielle cultivée domestique, Cumin noir* ou *faux Cumin.*
Belgice, *Nardus-zaed.*

Coliter in hortis.

Semen ejus odoris aromatici saporisque acris, adeo aromatum exoticorum qualitatibus pollet, ut non solum a quibusdam auctoribus medicis piperi comparetur, sed etiam ab hisce, ut et a coquis et aromatariis nunc piperi, nunc nuci moschatæ vel maci, imo ipsis caryophyllis substituatur. Videtur igitur aliquid de sapore singulorum participare. Huic opinioni suffragatur nomen

---

(b) *Huys- en Reys-apotheek. Vert. door* WAUTERS, *p.* 47.
(c) COLIN, Ann. med. terr. p. 4.

Mille-épice vel *Tout-épice*, quod a quibusdam Gallis illi impertitur.

2° MELISSA *officinalis. LINN.*
Melissa hortensis. BAUH. pin. 229.
Melissa. DOD. pempt. 91.
Gallice, *Melisse.*
Belgice, *Citroen-kruyd*, *Melisse.*

Colitur in hortis.

Debet herba colligi antequam florescat; perdit alioquin odorem.

Una est ex gratissimis plantis aromaticis, quarum quoque virtutes possidet. Frequentis usus est ubi illæ indicantur (*d*).

3° INULA *Helenium. LINN.*
Helenium vulgare. BAUH. pin. 275.
Helenium. DOD. pempt. 344.
Gallice, *Aunée. Enule campane*, *Herbe d'Elaune.*
Belgice, *Alant-wortel*, *Galant-wortel.*

Crescit in Europa australi, et in hortis nostris inter flores colitur.

4° Magna succedit plantarum aromaticarum familia, quam exhibet *Burtin*, et cujus præcipuæ sunt *Lavendula*, *Thymus*, *Salvia*; ego reliquas ceu minus nobis necessarias præteribo; adduxi enim quæ a medicis maxime approbantur. Hæ quidem minori vi quam exoticæ, sed etiam minori æstu operantur.

ASÆ FŒTIDÆ, CASTOREO, MOSCHO SUBSTITUITUR.

VALERIANA *Officinalis*, *floribus triandris*, *foliis omnibus pinnatis. LINN. sp.* 45.
Valeriana sylvestris major. BAUH. pin. 64.
Valeriana sylvestris. DOD. pempt. 349.

(*d*) Vid. Pharm. Londinenf. Ann. 1771.

Gallice, *Valeriane*, *petite Valeriane.*
Belgice, *Speer-kruyd*, *St. Joris-kruyd.*

Crescit sponte juxta paludes et fossas.

Radix in affectibus convulsivis et spasmodicis cum atonia conjunctis substituitur prædictis exoticis, licet eam non omnino æque efficacem prædicemus. *Tromsdorff* ejusdem exhibet analysin *(e).*

Etiam *Allium* a quibusdam *Asæ fœtidæ* surrogatur *(f).*

AURANTIIS *Dulcibus* uti et CITREIS et LIMONIIS *Malis*

SUBSTITUUNTUR:

Hic culta; sed cum cultura eorum sat difficilis sit et vix satis maturescant *(g)*, ad succedaneos alios fructus propero, qui hic jam vere indigeni sunt, quales fructus *Ribesii* sive fruticis quæ vocatur

RIBES *Inerme. LINN.*
Ribes seu Grossularia multiplici acino, non spinosa hortensis. BAUH. pin. 455.
Ribes fructu rubro. DOD. pempt. 748.
Galice, *Groselier de jardin rouge, ou blanc.*
Belgice, *Roode-aelbeziën-boom*, *St. Jans-beziën*, *Beziën over zee.*

In hortis nostris colitur.

Succus fructuum ejus sive rubrorum, sive alborum qui paulo minus acidi sunt, non secus ac prædictorum exoticorum qualitatis est acidulæ et refrigerantis; hinc rob et syrupus inde conficitur, quæ tam in febribus acu-

---

(e) *Bulletin de Pharmacie*, n.° *V*, *I.re ann.*, *p.* 209 *seqq.*
(f) *Vid.* BURTIN, *ibid. p.* 114.
(g) *Vid.* DESFONTAINES, *ibid. T. I*, *p.* 419, ubi dicit: *Il n'y a qu'un petit nombre de Cantons du midi de la France, où ils puissent croître en pleine terre, encore sont ils sujets à être endommagés, ou même à périr, lorsque les hivers sont rigoureux.*

tis, sic dictis putridis, adynamicis, quam in scorbuto magni usus sunt, et universim ubi succus illorum exoticorum ibi et Ribesiorum indicatur et juvat; quod mihi spatio quinque fere lustrorum praxim medicam uberrimam rure exercenti evidenter constitit. Toto hocce tempore vix, nisi septem primos praxeos annos exoticis usus fui; toto reliquo tempore succum baccarum Ribesii ipsis prospere surrogavi.

Non tantum Rob et Syrupum adhibebam, verum etiam succum depuratum, quem semper magna copia ex fructibus in horto meo cultis annue exprimi et conservari jubebam. Inserviebat is ad componendas offas aut juscula; ad acidulandum potum, decoctum hordei, aquam panis, serum lactis &c. in morbis omnibus acutis. Ita felicissime medicinam faciebam. Succus hic perfectior erat succo citri: etenim mala citrea ut iter sustineant, ante maturitatem adhuc viridia colliguntur: idcirco acerbo-acida sunt, nec ab ægris diu feruntur, si manduntur aut succus purus sumitur: brevi enim labia, gingivæ, palatum arroduntur, epitelio orbantur &c.; eodem ex fonte succus ille nervis nocere posset. Non item ea fiunt ex succo ribesiorum qua matura colliguntur et quorum succus eatenus parte mucilaginosa dulci abundat. D. *Beunie* asserit se majorem effectum habuisse ex solis Ribesiis quam ex quibusvis aliis acidis (*h*). " Credidero inquit *Wauters* (*i*) non
,, male me applaudere aliquibus ex nostris civibus,
,, qui illorum exoticorum loco fructus *Grossulariæ*....
,, adhibent. Horum succum lagenis immissum in ca-
,, lore solari fermentescere sinunt, despumatum in
,, alias lagenas decantant, et usui tum culinari tum
,, pharmaceutico conservant....... Succus *Cerasorum*
,, quem D. *De Frenne* nuper solers commendavit,

(*h*) *Mém. couronné par l'Acad. de Bruxelles*, 1782. *p.* 31, *et Journ. de phys.*, 1773. *T. I*, *p.* 184.

(*i*) Diss. botanico-med. Gandavi, 1785. p. 42 seq.

„ omnibus bonus agnoscitur,..... at fructus *Grossu-* „ *lariæ*..... longe minus quam cæteri fructus horæi „ in putredinem proni sunt". Idem igitur ac de Cerasis esto judicium de succo fructuum *Berberis vulgaris*, quem nonnulli proponunt.

D. *Lemery* filius, postquam fecerat analysim ribesiorum fermentatorum, conclusit, usum horum non posse non prodesse in febribus; quod parum fermentant et acidum eorum facile extricatur, quo liquida inspissant et horum motum vehementiorem reprimunt. *Les eaux des Cerises ou autres* addit, *qui fermentent d'avantage ne doivent pas tant rafraichir, car leur fermentation augmente la chaleur du sang........ (k).* Docet *D. Parmentier* quomodo hi succi conservari debeant *(l)*.

Quod plus est semel composui consulente D. *Burtin (m)* ac docente D. *Shaw (n)*, acetum ex magmate, pelliculis nempe et acinis Ribesiorum a pressura residuis, quibus certa quantitas aquæ fervidæ affundebatur, et quæ ardori solari exponebantur, donec liquor perfecte acidus inveniretur. Acetum hoc ad eosdem usus medicos ac succus valebat; insuper in mensa et culina aceti vini vices mihi circiter anni integri spatio, agebat. Fateor minus acidum erat, at gratius et pulcherrimi subrubelli coloris.

Substituitur tandem supradictis fructibus exoticis

RUMEX *Acetosa*, *LINN.*
Acetosa pratensis. BAUH. pin. 114.
Oxalis. DOD. pempt. 648.
Gallice, *Oseille.*
Belgice, *Surkel* of *Zuering.*

Planta hæc ubique terrarum frequentissima. Datur et *Acetosa montana maxima Bauh.*, quæ in hortis coli-

---

(*k*) Coll. acad. part. Franc. T. II, p. 25.
(*l*) *Code pharmaceut. Paris*, 1807. *p.* 179 *seq.*
(*m*) *Ibid. p.* 156.
(*n*) *Chemical lectures*, *p.* 124.

tur, quocirca hæc hortensis illa vero sylvestris vulgo appellatur.

Folia harum plantarum prout et aliarum Rumicis acetosæ specierum, optime Citrea et Aurantia mala imitantur in curando scorbuto alcalino *(o)*. Iis se curant, teste *Bartholino*, Groenlandi *(p)*. In febribus ardentibus et in putridis admodum proficuum esse decoctum cum sero lactis, docet *Boerhaavius* *(q)*.

BALSAMO *Copayvæ*, *de Meca*, *Peruviano*, *Tolutano*, *Terebinthinæ Venetæ*, *Myrrhæ*, *Styraci &c.*,

SUBSTITUITUR

Pro usu interno:

CHENOPODIUM *Botrys. LINN.*
Botrys Ambrosioides vulgaris. BAUH. pin. 138.
Botrys. DOD. pempt. 34.
Gallice, *Piment*, *Botrys.*
Belgice, *Druyven-kruyd.*

Tanta balsami copiâ scatet planta hæc, ut, quum æstate in hortis nostris viget et solis radiis lustratur, folia contrectantibus digitis adglutinentur, balsamo splendeant, balsamumque spirent.

In ulceribus internis, in phthysi, tussi, in sic dictis gonorrhœis, leucorrhœis, supra dictis balsamis et balsamicis præstantior videtur, præsertim in ulceribus pulmonum. Difficulter enim illa digeruntur, pulmones obstruunt, calorem et oppressionem evidenter generant, nisi dosis sit minutissima..., verbo omnibus animum non habentibus præoccupatum demonstrari posset, remedia illa reapse in his casibus nociva accidere. Ita

---

(o) *Vid. Mém. de l'Acad. des sciences de Paris*, 1708. *Hist. p.* 52.
(p) *Mém. de Coppenhague*, 1671.
(q) Elem. chem. Vol. II, p. 79.

loquitur Cel. *Tissot* (*r*). Pariter et Cel. *Fothergill* (*s*) balsama in omni phthyseos gradu damnat et putat ex iis plurimum damni observavisse: *j think* ait, *j have seen much detriment arising from them* (*t*), ex hac specie scilicet medicamentorum calefacientium. (Balsama terebinthinacea nociva sunt in omnibus casibus inflammatoriis: prodesse possent in periodo colliquativa ceu antiseptica et stimulantia..; utilitas tamen modica est, quoniam humoribus animalibus vix solubilia accidunt), ait *Brieude* (*v*). Insignis practicus *Werlhof* quoque balsama copayvæ et peruvianum aliquando cum fructu præscripsit (*u*). Si statum inflammatorium hic agnovimus aut suspicamur, securi procedere possumus: *D. Michaux* in universitate Lovaniensi quondam botanices professor discipulis herbam *Botryos* tamquam optimum in obstructionibus et ulceribus pulmonum remedium commendare solebat, propria doctus experientia. Veritatem hujus doctrinæ etiam expertus est *Wauters* qui ita scribit (*w*): " præscripsi illam sæpius sen-
,, sibili cum fructu; unum modo allegabo casum mihi
,, notabilissimum visum. Filiolæ decenni circiter ex tus-
,, si ferina pertinacissima tandem phthysicæ factæ, vere
,, purulenta spuenti et continua febre hectica laboranti,
,, præscripsi primum extractum Corticis Peruviani, at
,, frustra, ut saltem apparebat; tum exhibui herbam
,, Botryos in infuso aquoso cum lacte, quod calide
,, sorbebat; mox solamen et paucis post hebdomadi-
,, bus integram nacta est sanitatem". Triginta ferme annos succedaneo hoc ingenti cum emolumento constanter usus sum.

(*r*) *Avis au peuple. Paris*, 1770. *p.* 8.
(*s*) *The works of* JOHN FOTHERGILL. *London*, 1783. *Vol. II*, *p.* 115 *seqq.*
(*t*) *Ibid. p.* 126.
(*v*) *Traité de la Phthisie pulmonaire. T. I*, *p.* 256.
(*u*) Op. med. Hanoveræ, 1775. p. 796.
(*w*) Diss. botan. med. p. 9.

BOLO *Armenæ* sive *Orientali*

SUBSTITUITUR:

Bolus Gallica, quæ ab Anglis priori præferri solet *(x)*. *Bolus rubra nostras* officinarum, est coloris flavo-rubri; sæpe heterogenia ei intermixta reperiuntur, a quibus purgari debet antequam in usum trahatur.

Si bona sit, habet dictum colorem, saporem stipticum, in ore liquescit, paucam relinquens in ore materiam terream insolubilem, linguæ adhæret, manus colorat contrectantium.

Omnes boli species vires medicas exsiccantes, plasticas habent, in diarrhœis potissimum et in dysenteriis utiles.

Dosis in pulvere est drachmæ semis, uniusve pondere; unius vel duarum in mixtura; unciæ unius in libra aquæ emulsæ, addito syrupo: tum cochleatim sumitur.

CAMPHORÆ

SUBSTITUITUR:

1° HELENIUM *vulgare*. Vid. AROMATA *orient.* n.° 3.

Radix easdem proprietates habet ac Camphora, diaphoreticas, discussivas, lympham attenuantes, quamvis in minori gradu; minus enim penetrans est. Oleum possidet aromaticum album, concretum, Camphoræ analogum, inquit D. *Parmentier (y)*. Decoctionem salvis viribis non fert: multas ejus vires aquâ, omnes spiritu vini extrahuntur: distillatione humida dictum oleum essentiale largitur, quod sub flocculorum alborum forma

(*x*) Pharm. Lond. Superius citat. T. I, p. 56.
(*y*) Code pharm. p. 8.

ascendit, aquæ innatans aut receptaculi collo adhærens concrescit in formam Camphoræ: sic præter substantiam resinosam et mucilaginosam etiam camphoriformem possidet. *Neuman* ex duabus libris radicum per distillationem obtinuit hujus substantiæ scrupulos quatuor *(z)*.

Optime datur hæc radix in pulvere a scrup. j. ad ij. pro dosi. Operæ pretium foret substantiam camphoriformem solam periculis submittere.

2° THYMUS *Serpillum. LINN.*
Serpillum vulgare minus. BAUH. pin. 220.
Serpillum vulgare. DOD. pempt. 277.
Gallice, *Thym.*
Belgice, *Wilde Thymus*, *Quendel.*

Crescit abunde in locis aridis et incultis.

Cel. *Neuman* etiam reperit Oleum Thymi distillatum speciem Camphoræ producere, et D. *Brown* experimenta ejus repetivit et verificavit *(a)*.

3° BUXUS, *semper virens. LINN. sp.* 1394.
Buxus arborescens. BAUH. pin. 471.
Buxus humilis. DOD. pempt. 782.
Gallice, *Buis* ou *Bouis.*
Belgice, *Buxboom* of *Palm-boom.*

Hæc planta in hortis nostris vulgatissima, præsertim apud rusticos: etiam communis est in Jurassu, in Burgundiæ comitatu, in Bengesia, in Delphinatu.

Camphoræ usus insignis est in doloribus rheumaticis et arthriticis vagis, in febribus catarrhalibus, in pleuritide catarrhali, et in pleuritide vera post celebratam satis phlebotomiam. "In omnibus his casibus (mihi scribit, senex, fidus æque ac doctus pharmacopœus *P. Linus*), adhibui decoctum foliorum *Buxûs*, idque creberrime optato cum eventu." Vir iste a juventute me-

(z) CARTHEUSER, Mat. med. T. II.
(a) *Abrégé des Transact. philos. Part. VIII, T. I, p.* 437.

dicinæ studuit et indefessus plantarum indigenarum virtutes indagavit. En plura ipsius verba: " Buxus in infuso ait, vix vires suas exerit, propter firmam suam contexturam, sed decoctionem per dimidiam horam requirit; plerumque passulas majores ad amaritiem fallendam adjunxi; v. g:

„ ℞. *Fol. Buxûs*, m. j.
„ *Passul. maj.* unc. ij.
„ *Aq.* q. s. f. decoct. p. semihoram. Colat. lib. ij. sumatur subinde nycthemeri spatio.

" Imprimis dolores lateris, sive pleuritides spurias, quibus sæpius debiles et ad phthysim dispositi vexantur, decocto fol. Buxûs semper superavi.

" In vera pleuritide post celebratam v. s. nihil efficacius inveni quam decoctum fol. Buxûs cum floribus Bellidis majoris.

" Felicissime sæpius decoctum fol. Buxûs ad superandam tussim inviteratam ex atonia pulmonum adhibui, et quidem in iis casibus, ubi medici aliqui, propter febrilem pulsum veram phthysim adesse judicabant.

" Semel vel iterum decoctum Buxûs additis radicibus symphyti ad hæmoptysim feliciter adhibui.

" In febre catarrhali ad transpirationem restaurandam, ad dolores pectoris vel lateris pellendos, nihil æque efficax post Camphoram et Nitrum inveni, quam decoctum Buxûs moderate calidum.

" Decoctum Buxûs cum Lumbricis terrestribus ad arthritidem vagam superandam aliis fauste adhibitum scio".

4° ARTEMISIA, *Abrotanum. LINN.*
Abrotanum mas angustifolium majus. BAUH. pin. 136.
Abrotanum mas. DOD. pempt. 21.

Gallice, *Aurone.*
Belgice, *Avroone*, *Averuyt.*

Crescit Monspelii in montibus apricis, et in Gallia septentrionaliori in hortis colitur, facile hic ferens hiemes:

Planta amara est et aliquatenus Camphoræ odorem refert. Ubi hæc qua vermifuga consideratur, Abrotanum ei suffici posset; itidem pro usu externo in sugillationibus recens contrita laudatur et loco Camphoræ esse quiret.

Salvia, Rosmarinus, Origanum sylvestre &c., prioribus plantis adnumerari possent; sed universim tenendum substitutiones has imperfectas esse et Camphoram illis præcellentem præferendam esse, quamdiu sat facile acquiritur.

Cæterum si solam chymiam consulamus, nîl oleo Terebinthinæ exactius cum Camphora quadrat; quod pro usu externo magni momenti.

Tandem omnium optimun foret, si

LAURUS, *Camphora. LINN.*
Camphora officin. BAUH. pin. 500.
Arbor camphorifera japon. BREYN. pr. 2. 16. *t.* 2.

In Gallia meridionali coleretur.

Temperatura climatis Japoniæ in qua naturaliter habitat, haud multum differt a temperatura orarum Galliæ australium; *approche de celle de la Provence* ait D. *Desfontaines* (*b*), ... *il est à présumer* addit, *qu'on pourroit le cultiver en pleine terre dans nos départemens du midi.* Hoc tanto probabilius mihi videtur, quod Gandæ illa planta facillime colatur, solum accedente hieme illam tempestive tuendo a rudiori frigore; æstate vero et magna veris autumnique parte nude viget lætissima. Non videtur hæc planta tenerior ipsâ *Citro medica* aut

(*b*) *Ibid. T. I, p.* 71.

Aurantio pluribusque aliis plantis Indicis et Japonicis. *Aucubam japonicam*, quam primum paucis abhinc annis solliciti adversus frigus muniebamus, hodiedum sub diu toto anno relinquimus, et experimur illam, etiam Gandæ, hiemis rigorem impune perferre.

Methodus qua Camphoram ex planta nostra obtinere valemus, apud *Kæmpferum (c)* describitur hisce verbis: " Extractio Camphoræ rusticorum opus est in Pro-
„ vincia Sátzuma et Insulis Gótho, qui radices et lig-
„ na in festucas comminuta, cum affusa aqua coquunt
„ in vesica ferrea, impositoque capitello fictili amplo,
„ et (ne ex vapore rumpat) rostrato, sublimatam
„ resinam excipiunt, stramini, quod capitellum reple-
„ bat, adhærentem". Sub hoc statu hæc Camphora Europæis transmittitur a sordibus mundanda.

Camphoræ purgandæ ratio jam dudum cognita erat quibusdam Hollandis; nunc autem a DD.nis *Jars*, *Model*, *Valmont de Bomare* et *Demachy* universaliter divulgata est. Monet D. *Coppens (d)* qui hac norma felicissime usus est, cauto opus esse in ignis directione.

CANTHARIDIBUS, *Meloe vesicatoriæ. LINN. exoticæ*

SUBSTITUITUR

Cantharis Gallica, quæ ferme ubique sed maxime in regionibus meridionalibus Galliæ reperitur.... *ce que nous savons de positif*, inquit D. *Parmentier (e) c'est qu'elle vit dans nos climats, sur les Frênes, les Chèvre-feuilles, les Lilas, les Rosiers, les Peupliers, les Noyers, les Troènes, les Ormeaux.* Addit ulterius, quod ubi

---

(c) Amœnit. exot. polit. phys. med. Fasciculi V. Lemgoviæ, 1712. p. 772.

(d) *Mém. couronné par l'Acad. des sciences de Bruxelles, en 1787.* p. 34.

(e) Code pharm. p. 331 seqq.

pascua hæc illi deficiunt, invadat grana et prata, ita ut agricolarum plurimi intersit, hunc scarabeum destruere, etiamsi ars medica illum non expeteret. Tum describit methodos illum inveniendi, colligendi, desiccandi, conservandi.

Substitui quoque possunt plurima ex nostris vegetabilibus, potissimum ubi resorptio salis acris Cantharidum metuitur. Tunc valent *Allium* contusum, item *semen Sinapi* recens cum aceto contusum, non vero *Mustardus* officin. qui sæpe farinâ mangonisatur, juxta *De Beunie (f)*. Sed nihil efficacius cortice interno radicis *Juglandis* recenti, vel cum aceto, contuso: hunc sæpius succedentem vidi, dum Cantharides nullas producebant vesicas. Ingens aliquando mihi præstitit obsequium ubi procul a pharmacopæis, apud rusticos, promtissime vesicato opus erat.

CARPESIO *Veterum*

SUBSTITUITUR:

Radix VALERIANÆ *Sylvestris*. Vid. Art. *Asæ fœtidæ*.

Fervaques (g) hanc substitutionem æquam ducit, modo hæc radix adhibeatur duplicata dosi.

CARPOBALSAMO

SUBSTITUUNTUR:

BACCÆ JUNIPERI. Vid. Art. *Amomi racemosi*.

Receptus hodiedum usus est, ut ob raritatem Carpobalsami adhibeantur hæ Baccæ, tum ad compositionem theriacæ, tum aliter.

(f) Ibid. p. 66.
(g) *Schat-kamer, Part. II, p. 266.*

CASSIÆ Fistulæ et THAMARINDIS

SUBSTITUUNTUR:

PRUNA DAMASCENA DOMESTICA seu fructus arboris, qui vocatur:
PRUNUS *domestica. LINN.*
Pruna majora, fructu dulci atrocæruleo. BAUH. pin. 443, n° 23.
Prunus fructu magno, dulci, atrocæruleo. TOURN. 622.
Gallice, *Damas noir.*
Belgice, *Damas-pruymen.*

Frequens in pomariis nostris arbor.

Pruna hæc instar Cassiæ et Thamarindorum humectant, laxant, refrigerant; idcirco in morbis biliosis et inflammatoriis indicantur.

Plerumque coquuntur cum aqua et pauco saccharo fusco, vel forma decocti pulpæve exhibentur, at duplo majori dosi quàm dicta exotica. Si loco pulpæ cum duplo sacchari conservam componere lubet, ùt antiquitus fiebat *(h)*, hoc medicamen conservari poterit et tantum reflectendum erit, dosin debere triplicari.

Hæc Pruna Electuarium *nerprun* ingrediuntur.

Ex 25 jam annis vix unquam Cassiam aut Thamarindos præscripsi; expertus enim sum, verum esse quod nonnulli monent, Cassiam abdominis Flatulentiâ sumentes lascessere; et Patriæ amantissimus *Parmentier* adjungit, Cassiam Fistulam raro bonæ qualitatis nobis esse *(i)*. Thamarindos neglexi non solum ob æruginem qua juxta *Baumé* sæpe infecti sunt, et ob acidum vitriolium, acetum et liquorem melleum, *Melasse*, quibus aliquando mangonisantur, sed vel maxime ob infidam ipsorum operationem; creberrime namque quam

(*h*) GEORG. MELICHIUS Augustanus, Dispens. med. Francofurti, 1601. p. 80 et 111.
(*i*) Code pharm. p. 171.

expetebam ex ipsis purgandi efficaciam non experiebar; certiorem reperi effectum Prunorum nostrorum.

Etiam florum Pruni m. j. vino infusus commode purgat (*k*).

Mala sive *Poma* omnia pene laxativa sunt et multo majori dosi exhibita Thamarindos et Cassiam æmulantur.

Tandem *Rob Sambuci nigræ*, et *Sambuci ebuli* potius eccoprotici, antiseptici et antiphlogistici, quam sudoriferi titulo se commendabilia reddunt; prout docet *Burtin*. Eo scopo illud cum successu præscribebat 34 ægris D. *Beunie* (*l*).

CATECHU,

SUBSTITUITUR:

1° URTICA *pilulifera*, *LINN.*
Urtica urens, pilulas ferens, BAUH. pin. 232.
Urtica Romana, LOB. Icon 522. Pariter et
Urtica dioica, LINN.
Urtica urens maxima, BAUH. pin. 232.
Urtica urens altera, DOD. pempt. 151.
Gallice, *Ortie.*
Belgice, *Netelen.*

Per totam Europam abunde in locis ruderatis sponte propululat.

Succus utriusque interne sumptus egregium stipticum est: " Vim (ait *Cocchius* (*m*) ignis adstrictoriam et „ vere balsamicam imitatur in sepulta intra pectus tu- „ berculorum diæresi......"

" Est unum ex certissimis remediis contra hæmoptysim et contra omnes hæmorrhagias; præscripsi illum

(*k*) Vid. LINNÆI Purg. indig. et HALLERI Hist Stirp. indig. Helv. T. III, p. 187.

(*l*) Ibid. p. 64.

(*m*) A. C. COCCHIUS, Vindeciæ Cott. peruv. Lugdini Bat., 1750. p. 16.

contra priorem morbum pluribus personis et semper cum successu", ait *Chomel (n)*. Pergit hic Auctor et dicit: " Dosis est unciarnm ij. ad iv. Vel solus datur succus parum tepidus, vel cum anatica portione juris carnium.

2° PRUNUS *Sylvestris*. Vid. Art. ACACIÆ.

Prodest succus fructuum immaturorum inspissatus, eodem modo et iisdem casibus quibus *Catechu*, juxta D. *Desbois de Rochefort (o)*.

CHINÆ *radici*,

SUBSTITUITUR:

1° HORDEUM *vulgare. LINN.*
Hardeum distichum. BAUH. pin. 23.
Hordeum. DOD. pempt 501.
Gallice, *Orge.*
Belgice, *Gerst.*

Colitur abunde in agris in regionibus Galliæ borealibus.

Andreas Vesalius (p) non levi cura radicem Chinæ examinavit, et ingentem subjungit catalogum virium medicatarum quæ decocto hujus radicis tribui solebant. Tandem vero concludit: " Vix tantum in sudoris urinæque provocatione et illis virtutibus quibus China hodie probatur, ex ipsius decocto, quam ex *Hordei* Sperandum". Inter remedia sanguinem depurantia, lympham attenuantia, acrimonias demulcentia, has per sudores et urinas evacuantia locum mereri hæc decocta videntur. Aqua sola et simplex posset dici easdem virtutes habere, sed ut doctus et latinissimus

(*n*) Plant. usuell. T. II, p. 596 seq.
(*o*) Ibid. T. II, p. 59.
(*p*) Epist. de radice Chinæ in Aphrodisiaco. p. 588 seq.

Lorry (q) reflectit, ipsa vix satis humoribus nostris adhæret, sed quasi præterlabitur; unde optimum est ut ejus solventi efficaciæ partes addantur quibus illa aliquam lucratur adhærendi efficaciam. Ita mucilaginosæ gummosæ quæ ex vegetabilibus petuntur partes, hac gaudent proprietate ut aquam et contineant et retineant.

2° ARCTIUM, *Lappa. LINN.*
Lappa major, *Arctium Dioscoridis. BAUH. pin.* 198.
Bardana seu *Lappa major. DOD. pempt.* 58.
Gallice, *Bardane*, *Glouteron.*
Belgice, *Klissen.*

Sponte crescit in locis incultis, ruderatis.

I.[ll] *Van Swieten* hæc habet *(r)*: " Sæpius dedi decoctum radicum Bardanæ..... et similem effectum, imo majorem, quam a decocto radicis Chinæ potato, vidi ". Forsan plus quam centies illud adhibui, postquam 6 vel 7 annos decocto radicis Chinæ uti sueveram, et profiteor, me nullam inter earum decocta differentiam detexisse: addam tamen fas est, me plerumque adjecisse radicem *Rumicis acuti*, *Linn.* sp. 478. *Lapathi acuti* seu *Oxylaphati*, *Bauh.*, et paucum radicis *Glycirrhisæ*. Longe crebrius autem usus sum et utor stipitibus *Dulcamaræ*, velut Art. de *Sarsaparilla* dicam. Alii addunt nonnunquam vel solam adhibent radicem *Rumicis aquatici*, *Linn.* sp. 479. *Lapathi aquat. folio cubitali*, *Bauhini.* Hæc docente *Parmentier (s)*, sulphur, amylum, materiam coriariam, extractumque continet.

In decocto ab uncia semis ad integram radicis *Bardanæ* dosis est.

(q) De morbis cutaneis. Parisiis, 1777. p. 502.
(r) Comment. in Aphoris. BOERHAAV. T. V, p. 535. Ed. Parif.
(s) Code pharm. p. 58.

CINNABARI *Hispanicæ*, *Italicæ et Germanicæ*,

SUBSTITUITUR:

Gallica. Docti Auctores dispensatorii Lippiaci cumprimis laudant Belgicam *(t)*.

Omnes purificari debent, Cinnabares etenim nativæ seu naturales vix unquam puræ sunt; sæpe cavendum quoque ne sint minio, realgare aut auripigmento falsificatæ.

Laudantur in morbis cutaneis, in venereis et aliis. Non inquirimus hic in modum quo agunt.

Dosis a granis v. ad x. xx.

CITRO *Medicæ*, *LINN. exoticæ*

SUBSTITUITUR:

Culta in Gallia meridionali &c. Vid. Art. AURANTIORUM.

COLOCYNTHIS sive CUCUMIS *Colocynthis*, *LINN.*

Satis provenit, etiam in Departementis borealibus, sed ejus fructus rarissime perfectionem attingit. In plagis Galliæ meridionalibus colitur optimo cum successu. Pro borealibus huic substitui posset.

1° MOMORDICA *Elaterium. LINN.*
Cucumis sylvestris, *asininus dictus. BAUH. pin.* 314, et *DOD. pempt.* 663.
Gallice, *Concombre sauvage.*
Belgice, *Ezels-konkommers*, *Wilde Konkommers.*

Colitur in hortis et invenitur circa Nabonnam.

Trillerus, qui auctoritates et argumenta Colocynthidem

(*t*) Dispensatorium Lippiacum, Auctoritate Collegii med. redegit J. G. F. SCHERF. Lemgoviæ, 1792. P. I, p. 15.

laudantium, æque ac vituperantium pensitavit, hisce tandem adhæret: sed gravis posteriorque Auctor D. *Desbois* aliter loquitur, dicens *que la Coloquinte est trop peu usitée parmi nous* et ejus usum pulchre describit *(v)*. Si quis analogum medicamen drasticum exoptat, memorata nobis *Momordica* suppetit, quæ secundum *Vogel* a gr. xv. ad xxx. exhiberi potest. Hic etiam de exhibendo succo e radice expresso atque de infuso ejusdem mentionem injicit. Succus ante perfectam maturitatem expressus et inspissatus *Elaterium* vocatur, quod tum purgantis tum emmenagogi titulo Colocynthidem perfecte compensat. Juxta D. *Bourgeois* est optimum purgans hydragogum. Medicus hic testatur, se illud quotidie summo cum successu contra hydropem præscribere a gr. x. ad xv. Secundum D. *Desbois* dosis est, ij., iij., iv., vj., x. vel ad summum xij. granonum, sub forma pilularum vel boli trituratur cum aliqua substantia mucilaginosa vel cum copioso vehiculo. Hujusce usus ut et aliorum drasticorum, magnam postulat circumspectionem *(u)*: propterea ut prudentissime agamus, imitemur *Capivaccium (w)*: " Ego Elaterio utor ,, infit: incipio a gr. semis, quia est validissimum me- ,, dicamentum, et postea exhibeo gr. ij., iij. ad v., ,, sed sensim: nec augenda dosis nisi materia evacuanda ,, postulet et vires tolerent ": tunc ad doses D.ni *Desbois* lente ascendere possemus. Ad eas quoque et *Fallopius* ascendebat. " Quanto Elaterium est antiquius tanto est melius ", inquit *Mesues (x)*.

2° NICOTIANA *Tabacum*. *LINN.*
Nicotiana major latifolia. *BAUH. pin.* 169.
Hyoscyamus Peruvianus. *DOD. pempt.* 453.
Gallice, *Tabac*, *Nicotiane*.
Belgice, *Tabak*.

(v) Ibid. T. I. p. 303 seqq.
(u) Ibid. p. 396.
(w) Op. omn. Francofurti, 1603. p. 737.
(x) Vid. FALLOPII Op. genuin. omn. T. I. p. 544.

Colitur in hortis et agris.

Planta hæc violenter sursum deorsumque purgat. Metuendi semper effectus ejus; ideo experta et prudenti manu tractanda; nam qualitas ejus acris et caustica nonnunquam funesta accidisse decitur.

Ex succo foliorum fit syrupus, dandus ad dr. ij., iij. vel iv. pro dosi.

Patruum meum medicum illum quandoque adhibuisse, nec unquam usque ad obitum suum ei valedixisse, omnino gnarus sum; ast casus quibus eum adhibebat, me latent. *Pendant longtems on n'a vu de Tabac que dans les boutiques des apoticaires, et plût à Dieu qu'il y fut resté!* Ait *Desbois de R.* (y) ...... *à l'intérieur* addit (z) ..... *on ne fait plus d'usage que de l'infusion corrigée par le miel et le vinaigre, ce qui forme le sirop de Quercitan.* Dosis hujus syrupi est cochlearculum cafetarium in scypho vehiculi, maximum uncia dimidia sive cochlear ordinarium in tribus vel quatuor unciis potûs, ut detur cochlear unum tertiâ quaque horâ.

In enematibus ubi enchephalum repurgandum aut exonerandum est, ut in lethargo, in apoplexia serosa, in asphyxia, in constipatione rebelli, &c. Colocynthidem plurimum posse inter medicos constat, sed hic summo jure ejus loco folia Nicotianæ adhibere licet: " Ego infit *Wauters* (a), sæpius in his circumstantiis „ magna cum felicitate illam præscripsi....... utor cir- „ citer pugillo uno vel uncia semisse foliorum ad sin- „ gulum enema". Duæ vel tres drachmæ pulveris pro singulo enemate æquivalere dicuntur. Enemata hæc insigniter purgant.

3° HELLEBORUS *Niger. LINN.*
Helleborus niger, flore roseo. BAUH. pin. 186.

(y) Ibid. Tom. II, p. 21.
(z) Ibid. p. 24 seq.
(a) Diss. botan. med. p. 14.

Veratrum nigrum, primum. DOD. pempt. 385.
Gallice, *Ellebore noir.*
Belgice, *Zwart Nieskruyd, Kropkruyd.*

In viridariis colitur.

Vires purgantes drasticæ *Colocynthidos* et Hellebori eædem videntur; emmenagogæ quoque utrique harum plantarum potentes adscribuntur *(b)*. In Morbis apoplecticis, soporosis, aliisque gravibus, a causa frigida dependentibus, vel Hellebori decocto, vel extracto, cum sale Gemmæ, aut Colocynthide, feliciter multi utuntur.

" Quantum ad vires emmenagogas, olim remedium ,, circumferebatur, quod nihil erat nisi tinctura *Colo-* ,, *cynthidos*, spiritu vini parata, additis *Caryophyllis* ,, aromaticis, ut minus cognosci posset ex quibus con- ,, staret *tinctura Aurea* (sic enim vocabatur); quæ ,, multis profuit, ubi nempe frigida lenta cacochymia ,, menstrui fluoris suppressionem fecerat, ait *Van* ,, *Swieten (c)* ". In eumdem prorsus usum laudat *Mead* tincturam suam sacram, tincturam Melampodii, quæ Helleboro nigro constat. Ex omnibus emmenagogis nullum (ait *(d)*) Helleboro efficacius.

Dosis cochlearculum minimum ex aquæ tepide haustulo, bis die.

Scopo purgandi porrigitur in substantia juxta celeb. *Desbois (e)* a gr. viij. ad x. xij. ex cyatho aquæ vel ptisanæ appropriatæ; juxta *Trillerum (f)* robustissimis hominibus a gr. xv. ad xxx.; in his mundi plagis dosis mediocris juxta observata D.ni *Burtin* est radicis pulverisatæ gr. xv., in decocto vero drach. j. In jusculo pingui et cum additis aromatibus pulvis exhibeatur necessum est; alioquin symptomata ægro medicoque in-

---

(*b*) Vid. SCHWENCKE ibid. p. 176 et 290.
(*c*) Comment. T. IV, p. 443.
(*d*) *Œuvres de* MEAD. *Bouillon*, 1774. *T. II*, *p*, 343.
(*e*) *Ibid. T. I*, *p.* 350.
(*f*) Dispenf. pharm. univ. T. I, p. 41.

grata producit. Hisce cum cautelis inquit Cel. *Burtin (g)* " illam radicem pluries feliciter et absque incommodo administravi ". In infusis adhibetur ad drach. j. imo drach. j. et semis. Alii etiam unciam semis in decocto dant ait *Crantz*. Pergit hicce dicendo: " Examen chemicum ,, *Boulduc* docuit, resinosam partem exiguam valen- ,, tissimam, gummosam abundantiorem purgantem qui- ,, dem, tamen mitiorem: extractum spiritu vini solo ,, factum suspectum esse deberi, aquosum malignum ,, non esse, ad scrupulum et ultra exhibendum, quod ,, et alii confirmant ". Etiam *Alibert* (*h*) dicit, extractum ex decocto radicis aquoso factum a gr. x. ad xx. dari posse, imo quandoque ad xxx.; extractumque resinosum a *Tournefortio* præscriptum tribus personis male cessisse (*i*), ingentes turbas excitando.

Monente *Crantzio* reflectendum Helleborum forsan pro diversis locis natalibus diversa pollere efficacia, et doses eo ex capite mutandas esse (*k*).

COLUMBO et LOPESIANÆ *Radicibus*

SUBSTITUITUR:

1° GNAPHALIUM *dioicum*. *LINN.*
Gnaphalium montanum flore rotundiore. BAUH. pin. 263.
Pilosella minor, mas et fœmina. DOD. pempt. 68.
Gallice, *Pied-de-chat*, *Perlière dioïque.*
Belgice, *Katte-voet*, *Roer-kruyd.*

Non est rara apud nos planta in locis montosis et apricis.

Huffeland hanc plantam substituit radici Columbo (*l*).

Vires huic promiscue tribuuntur adstringentes et ro-

(*g*) Ibid. p. 91.
(*h*) Ibid. *T.* I, p. 297.
(*i*) Ibid. p. 295.
(*k*) Ibid. T. III, p. 34.
(*l*) Bibliotheek der practischen Heilkunde. Band. VI. n.° 1, p. 19.

borantes. In diarrhœa, in arthritide, et a quibusdam in tussi convulsiva commendatur. In dysenteria valere nomen Germanicum (Ruhrkraut sive Herba dysenterica) indicat. At in Gallia hactenus forsan in solis morbis pectoris usui est : sic coquitur m. j. cum libris duabus aquæ vel sumitur loco theæ, et in pharmacopœis quibusdam prostat conserva florum Gnaphalii, quæ a drach. j. ad unc. semis exhibetur.

Citatus Auctor credit ei quoque surrogari posse herbam *Absynthii* vel *Trifolii fibrini*, si addatur pauculum mucilaginis cujusdam (*m*); sed melius substituitur.

LYTHRUM *Salicaria. LINN.*
Lysimachia spicata purpurea. BAUH. pin. 246.
Lysimachia purpurea communis. DOD. pempt. 86.
Gallice, *Salicaire, Lysimachie rouge.*
Belgice, *Partyke, Joden-kruyd.*

Abunde habitat apud nos juxta fossas et rivos.

De Haen exemplis demontrat, herbam pulverisatam diarrhœas et dysenterias, præcipue ab atonia oriundas, percurare (*n*).

Datur ad drach. j. vel plus mane et sero. Vid. Art. *Simarubæ.*

CONTRAYERVÆ *exoticæ Veterum.*

SUBSTITUITUR:

CONTRAYERVA *Hispanorum in Gallia culta.*
Dorstenia contraierva. LINN.
Cyperus longus odoratus peruanus. BAUH. pin. 14.
Gallice, *Contrayerva.*
Belgice, *Gift-wortel.*

Cel. *De Jussieu* grana hujus plantæ semuit in horto regio et optime creverunt, floruerunt &c. (*o*).

Meum non duco, hic intrare in disquisitionem virtutis

(*m*) Journ. der practis. Heilk. B. XXI, st. 3. p. 171.
(*n*) Rat. med. Part. V, p. 195.
(*o*) Coll. Acad., part. Franc. T. IX, p. 163 seqq.

illius stimulantis aromaticæ et antisepticæ, quam in febribus contagiosis et malignis exercere statuerunt Auctores plurimi: sufficere puto, ostendere, quod hæc planta in Gallia gigni, et exoticis, sive Contrayervæ Veterum, sive huic novæ in Cantabria nova natæ, sive in Mexico aut in Hispania aut alibi cultæ, substitui possit.

Non mirum inquit D. *De Jussieu*, novæ Contrayervæ, quæ fere eodem sapore aromatico gaudet, easdem circiter vires attribui. Et profecto ab antiqua non aliter differre videtur, nisi formâ quæ parvæ rapæ similis est, ubi Contrayerva Veterum ramosa est et fibrosa. Sed facilitas illam ubique locorum colendi et ex granis multiplicandi, adinſtar omnium aliarum plantarum *flore leguminoso*, modo a gelu præservetur, reddit illam Europæis æque utilem atque Contrayervam Veterum (*p*). Tantum addere lubet *Cullenum* (*q*) cum D.no *Mertens* antisepticæ ejus virtuti perparum tribuere, et calefaciente Vinum accommodatius credere.

Dosis in pulvere scrupulus vel a gr. xviij. ad xxx., in infuso uncia semis.

COSTO *vero Arabico*,

SUBSTITUITUR:

1° ANGELICA. *Archangelica. LINN.*
Angelica sativa. BAUH. pin. 155.
Angelica major. DOD. pempt. 318.
Gallice, *Angelique.*
Belgice, *Tamme Engelwortel.*

Colitur in hortis.

Tota planta, ùt quisque novit, valde aromatica est: radix oleum essentiale dat. Infusio aquosa vel vinosa

(*p*) DE JUSSIEU, ibid. p. 165.
(*q*) *Traité de Mat. med. T. II, p.* 605.

admodum tonica est, et juxta *Desbois* (*r*) unum est ex optimis stomachicis, nullatenus exoticis cedens. Jam dudum usus invaluit, ut radix ejus *Costo Arabico* seu *Costo vero adorato* item *Meo Athamantæ* substituatur; ut fert *G. Melichius* (*s*).

Raro adhibetur in pulvere, cujus dosis foret scrup. j. Infusum vinosum usitatius: ℞. Rad. Angelicæ unc. sem., vin. lib. ij. diger. p. 48 horas. Conserva est præparatum præ cæteris adoptatum; datur a drach. sem. ad drach. j. aut ij.

2° *Radix* INULÆ *Helenii*. Vid. AROMATA n.° 3. Confer si lubet, *Chomel* (*t*).

CROCO *Orientali* et *cuivis exotico*,

SUBSTITUITUR:

CROCUS *indigenus*.
Crocus Sativus. LINN.
Crocus sativus autumnalis. BAUH. pin. 63.
Gallice, *Safran.*
Belgice, *Saffraen.*

Puto me satisfecisse si dixero cum Auctoribus Dictionarii Geographici, Vastinium excellenti Croco abundare. Sed colitur et in Aquitania, Occitania, Belsia; imo et in regionibus Galliæ magis septentrionalibus coli potest et revera a nonnullis ingenti cum lucro colitur. Id D. *Dellafaille* Antverpiæ, Ill. D.[na] tunc temporis Toparcha de *Lacchenen* inter Liram et Duffel, D. *de Robiano* in Buecken, exemplo demonstrant (*v*). Pharmacopœi Antverpienses non utuntur nisi hoc indigeno, juxta D. *Burtin* (*u*).

(*r*) *Ibid. T. II, p.* 32.
(*s*) Dispensat. med. p. 537. *Vid.* FARVAQUES, *Droôgbereydende Schat-kamer. Part. II, p.* 266.
(*t*) *Pl. nsuell. T. II, p.* 551.
(*v*) *Vid.* BURTIN, *Ibid. p.* 76 *seq. Item* DUHAMEL, *Elém. d'Agriculture. T. II, p.* 241.
(*u*) *Ibid.*

Methodus illum colendi, colligendi et utilitas culturæ describuntur quoque a D. *Howard* (*w*).

Nonnunquam floribus Carthami sophisticatur, sed fraus facile detegitur figurâ: Crocus genuinus stigma est, falsus autem petalus.

CUMINO *Orientali*,

SUBSTITUUNTUR:

1° CARUM *Carui. LINN.*
. . . . *DOD. pempt.* 299.
Carum pratense, *Carui officin. BAUH. pin.* 158.
Gallice, *Carvi.*
Belgice, *Carwey.*

Crescit apud nos et alibi in pratis.

Virtus seminis resolvens et carminativa est, et numeratur inter semina quatuor calida majora.

Hanc substitutionem nos docet *Chomel* (*x*).

2° CORIANDRUM *sativum. LINN.*
Coriandrum majus. BAUH. pin. 158.
Coriandrum DOD. pempt. 302.
Gallice, *Coriandre.*
Belgice, *Coriander*, *Colander.*

Semitur in hortis.

Semen viribus hypnoticis et carminativis pollet. *Burtin* (*y*) imitatus *Cartheuserum* (*z*), substituit semen hoc, non secus ac præcedens, Cumino exotico.

DAUCO *Cretico* seu *Candiaco*,

SUBSTITUITUR:

1° DAUCUS *Carota LINN.*

(*w*) *Coll. Acad. part. étrang. T. II*, *p.* 482.
(*x*) *Ibid. T. II*, *p.* 514.
(*y*) *Ibid. p.* 30.
(*z*) Mat. med. T. III, p. 478.

Pastinaca sylvestris tenuifolia Dioscoridis et officin. BAUH. pin. 151.
Daucus vulgaris. CLUS. hist. II. 194.
Gallice, *Carotte sauvage.*
Belgice, *Wilde peen*, *Vogel-nest.*

Crescit in locis saxosis et incultis.

Semina hujus, prout Dauci Cretici, sunt aromatica, stimulantia, subamara fere acria; in scopum carminativum et diureticum laudata; etiam vis lythontriptica a quibusdam iis tribuitur.

Succedaneum nostrum exhibetur in pulvere a drach. semis ad drach. j. bis vel ter in die; in infuso ab unc. j. ad unc. ij. Creticum duplo fortius habetur.

Semen DAUCI sativi radice rubra et lutea TOURN. 307 sive *Pastinacæ sativæ tenuifoliæ radice lutea. BAUH. pin.* 151, etiam iisdem viribus pollere creditur (*a*). Est unum ex quatuor seminibus calidis minoribus.

2° APIUM *graveolens. LINN.*
Apium palustre seu *Apium officin. BAUH. pin.* 154.
Eleoselinum. DOD. pempt. 695.
Gallice, *Ache des marais.*
Belgice, *Selderey*, *Juffrouw-merk.*

Colitur in hortis et dicitur inveniri subinde in fossis et humidis locis.

Semen quoque unum est ex quatuor seminibus calidis minoribus, aromaticas calefacientes, carminativas et diureticas vires habens.

3° APIUM, *Petroselinum. LINN.*
Apium hortense, *Petroselinum vulgo BAUH. pin.* 153 et *DOD. pempt.* 694.
Gallice, *Persil.*
Belgice, *Peterselie.*

(*a*) SCHWENCKE, ibid. p. 70.

Colitur in hortis.

Semen viribus aromaticis, carminativis, resolventibus, diureticis, emmenagogis gaudet.

4° PASTINACA *sativa. LINN.*
Pastinaca sylvestris latifolia. BAUH. pin. 156 et *DOD. pempt.* 680.
Gallice, *Panais.*
Belgice, *Pastinaken, Pinxternaken.*

In hortis colitur.

Horum trium posteriorum seminum substitutionem in locum seminis Dauci Cretici *Cartheuserus* suggerit (*b*).

DICTAMNO *Cretico*,

SUBSTITUITUR:

Pseudo-Dictamnus.
DICTAMNUS *albus. LINN.*
Dictamnus albus vulgo *Fraxinella. BAUH. pin.* 222.
Fraxinella. DOD. pempt. 448.
Gallice, *Fraxinelle, Dictamne blanc.*
Belgice, *Esschen-kruyd.*

In regionibus montosis Galliæ meridionalioribus nascitur; in septentrionalioribus in locis meridiei expositis colitur.

Cunctæ hujus plantæ proprietates, ait D. *Valmont de Bomare*, eædem sunt quæ Dictamni veri, verumtamen longe inferiores: est saporis amari, calefaciens, cardiaca, pellens, anthelmintica, emmenagoga, in debilitate parturientis, dato positu infantis naturali, et nullo præsente inflammationis aut hæmorrhagiæ metu, proficua. Semina, folia et radices sunt officinalia inquit *Boerhaave*; hæc planta addit, in theriaca adhibetur, si Dictamnus (Creticus) non sit præsens (*c*).

(*b*) Mat. med. T. III, p. 467; et vid. BURTIN, ibid. p. 29.
(*c*) Hist. Plant. p. 380.

Apud nos vix nisi radicis cortex in officinis prostat, licet, ut fert *Crantz*, capsulæ seminalis vires longe majores quam radix promittant.

Si fiat infusio in vehiculo spirituoso est amarior quam facta in vehiculo aquoso. Ope aquæ obtinentur ex unc. j. hujus corticis circiter drach. v. extracti; ope vero spiritûs vini scrup. iv.; tandem æther nequidem ejus infusione colore mutatur.

Eligendi cortices crassi, albi, toti aromatico fragrantes odore; rejiciendi nimis antiqui, effœti, cariosi.

Radix hæc in officinis vulgo Dictamnus vocatur, quoniam Dictamni veri odorem, saporem et vires aperientes cardiacasque habet; et albus, quod radice alba est, ad differentiam Cretici.

Dosis hujus Dictamni indigeni, sive corticis radicis Fraxinellæ, est in pulvere a scrup. j. ad drach. j. et in infusione a drach. j. ad unc. sem.

GENTIANÆ RUBRÆ *Helveticæ et Italicæ*,

SUBSTITUUNTUR:

1° *Gallica* sive *Alverniaca*. Est eadem planta, videlicet:
GENTIANA *lutea*. *LINN.*
Gentiana major lutea. BAUH. pin. 187.
Gentiana. DOD. pempt. 342.
Gallice, *Gentiane.*
Belgice, *Groote* of *roode Gentiaen.*

Invenitur in locis altioribus Helvetiæ, Italiæ, Sylvæ nigræ, Ducatus Wittenburgici, etiam in Moscovia circa Moscuam, maxime vero in Alpibus nascitur; sed etiam sponte crescit in montibus Alverniæ, et per totam Galliam coli potest, modo sequamur cautelas quas D. *Thouin* præscripsit *(d)*.

(*d*) *Mém. sur la culture des Plantes Alpines.* Vid. *Verhandelingen van het prov. Utrechtsch Genootsf. van Kunsten &c. IV Deel*, 2*de St. p.* 9 *seqq.*

2° GENTIANA, *Centaurium.* *LINN.*
Centaurium minus. *BAUH. pin.* 187; et *DOD. pempt.* 336.
Gallice, *Petite Centaurée.*
Belgice, *Kleyne Santorie, Duyzend-gulden-kruyd.*

Provenit abunde in locis maritimis et alibi in pratis.

Est planta hæc, æque ac Gentiana, ob summam amaritiem apprime tonica, balsamica, stomachica, febrifuga, anthelmintica &c. Extracta ex his plantis parata adeo odore, sapore et colore sibi similia sunt, ut non facile ulla observetur differentia: ambæ plantæ substantiæ extractiva scatent; præterea plantæ sunt congeneres.

Folia ob majorem amaritiem, aliis plantæ partibus præferenda videntur *(e)*.

3° ARTEMISIA, *Absinthium. LINN.*
Absinthium Romanum officin. Dioscoridis. BAUH. pin. 138.
Absinthium latifolium. DOD. pempt. 23.
Gallice, *Absinthe.*
Belgice, *Alsem.*

Crescit juxta vias et præsertim inter rudera; apud nos in hortis colitur.

Absinthium hoc vulgare plebi nostræ notam ob salubritatem familiarissimum. Juxta *Hallerum* aliarum hujus plantæ specierum, omniumque amaricantium potest tenere locum, cum vires eorum possideat omnes. *C'est un amer aromatique dont on fait un très-grand usage.... dans toutes les occasions dans lesquelles les amers peuvent convenir (f).*

Inter tria jam memorata amaricantia Absinthium maxime nauseosum saporem habet. Præscribuntur indiscri-

---

(e) Vid. Dispens. Lippiacum. P. I. p. 100.
(f) *Pharm. du Coll. des med. de Londres, T. I, p. 7.*

minatim iisdem omnino casibus, iisdem formis, iisdem dosibus. Maxime in usu sunt decocta aquosa, infusa vinosa et cerevisiaria, extracta, sal elix., syrupus. Hæc in omnibus pharmacopoliis prostant. Datur extractum cujusvis a gr. xv. ad drach. sem., drach. j. Forma pulveris etiam quodvis exhibetur a scrup. j. ad drach. sem. Ipsa herba vel summitates utriusque posteriorum infunduntur sæpe vino: herba ad unc. sem. et summitates ad duos tresve pugillos. Novi tandem ruricolas nostros Absinthii summitates virides et recentes cum pane butyrato nonnunquam ubertim mandere. Gentianæ radix raro coquitur, ast si quis eam coquere cupit, præscribi solent dr. iij. pro singulo decocto.

GLYCYRRHIZÆ *Hispanicæ*, *Italicæ*, *Anglicæ*,

SUBSTITUITUR:

GALLICA.

Sat ubertim colitur in regionibus Imperii Gallici australibus; minus in borealibus, quamvis et ibidem in hortis etiam agricolarum aliquando illam viderim gustaverimque. Paulo dulcior ac mucilaginosior est quæ crescit in regionibus magis australibus.

Nomina botanica hæc sunt:

GLYCYRRHIZA Glabra. *LINN.*
Glycyrrhiza Siliquosa et Germanica. BAUH. pin. 352.
Glycyrrhiza vulgaris. DOD. pempt. 341.
Gallice, *Reglisse.*
Belgice, *Zoet-hout*, *Callissie-hout.*

Methodus illam colendi habetur in *Coll. Acad. part. étrang. Vol. II*, *p.* 404.

Radix est edulcorans, hinc frequentissime in asthmate, nephritide, stranguria, tussi, plurimisque morbis ab acrimonia natis, sub forma pulveris, decocti, extracti inspissati sive baculorum et trochiscorum adhi-

betur. Extractum hujus præparatur in Hispania potissimum. *Nous pourions à peu de frais nous emparer de cette industrie, car une livre de racine de celui qui croit en abondance dans nos climats..... fourniroit deux onces d'extrait de bonne qualité.* Ait *Jolyclerc (g)*. Glycyrrhiza nostra infusa extractum largitur leviter fuscum, præstantius extracto, nigro et acri quod peregre nobis advehitur. Hoc enim notante Cel. *Parmentier (h)*, carbonem et aliquas cupri particulas continet. Unusquisque huic purificato opus esse novit.

Dosis radicis in pulvere a gr. xv. ad scrup. ij. ordinarie cum alio pulvere miscetur; in decocto unc. j. pro singulo poculo (lib. iv.) vehiculi; bacilli vel trochisci paulatim in ore liquescunt et ad unc. sem. imo ad unc. j. nycthemeri spatio assumuntur, in tussi catarrhali aut alia asperiori. Plurimas normas Glycyrrhizam administrandi describit *Alibert (i)*.

Ab aliquibus medicis et aliquibus casibus substituitur etiam

ASTRAGALUS *Glycyphyllos. LINN.*
Glycyrrhiza Sylvestris, floribus luteo-pallescentibus. BAUH. pin. 352.
Gallice, *Astragale-reglissier.*
Belgice, *Wild Zoet-hout.*

Sponte apud nos crescit in locis umbrosis sylvestribus.

Hæc planta vim aliquam adstringentem exercet; alioquin egregie Glycyrrhizæ glabræ similis.

GUAJACO *(ligno)* seu *Ligno sancto*,

SUBSTITUUNTUR:

1° BUXUS *Semper virens.* Vid. Art. CAMPHORA.

(g) *Principes de la Philosophie du Botaniste. p.* 172.
(h) Code pharm. p. 173.
(i) *Nouv. élém. de Therap. &c. T. II, p.* 111 *seq.*

Ligna *Guajacum*, *Sassafras* et *Bûxûs* quoad vim sudoriferam inter se fere æquivalent, quod multorum Auctorum consensu probatur; primi occurrunt *Chomel*, *Ettmuller*, *Burtin*. *Je sais* ait horum primus (*k*), *des chirurgiens qui s'en servent avec succès dans la vérole.* Loquitur de Buxu. D. *Desbois* non multum huic tribuit, plurimum vero ligno Guajaco. " Bibimus ego „ et famulus meus ait *Wauters* (*l*), verna tempestate per „ 4 dies omni mane infusum saturatum rasuræ ligni Bu„ xûs, ut experiremur quid effecturum foret in nobis; „ at vix ullum diaphoreticum effectum observavimus. „ Adhibuimus dein eodem modo rasuram ligni Gua„ jaci, neque sensibiliorem in eo percepimus effica„ ciam.

" Suasi tum unius tum alterius Ligni decoctum ægris „ meis rheumaticis, et revera, si non naturæ, utrius„ que effectus sæpe optimos reperi, quamvis non ad„ modum sensibiliter sudores movisset

" Faber lignarius decoctum ligni Buxûs saturatissi„ mum in febre quartana, cujus paroxismi ferme abs„ que ullo sudore terminabantur, sumens, immediate „ ante febris insultum, primâ vice abundantissime su„ davit post leve prægressum frigus, et febris deinde „ non rediit amplius. Eapropter cum iis Auctoribus „ conspiro, qui ligno Guajaco præ Buxino nihil tri„ buerunt ".

Dosis est unc. j. pro lib. j. aquæ in decocto.

2° SAMBUCUS, *Ebulus*. LINN.
Gallice, *Yeble* ou *Petit Sureau*.
Belgice, *Hadich* of *Ebulus*.
et
SAMBUCUS *nigra*. LINN.
Gallice, *Sureau*.
Belgice, *Vlier*.

Communiter notæ plantæ sunt: sed apud nos ma-

(*k*) *Sur les Pl. usuell. T. III, p.* 289.
(*l*) Diss. botan. med. p. 39 seq.

xime frequens est posterior species *fructu in umbella nigro*, *BAUH. pin.* 456. *DOD. pempt.* 845.

Crescit *Ebulus* sponte in locis incultis; sed *Sambucus nigra* plerumque ob salutarem suum in medicina usum plantatur et læte crescit in humidis præsertim et tenebrosis locis, juxta sepes et muros.

Asserrit Cel. *Burtin* se constanti observatione didicisse, infusum duarum unciarum florum Sambuci calide sorbillatum, virtutem sudoriferam habere, atque se ferme nunquam aliud remedium præscribere ubi sudor provocandus est, imo se illos hoc casu ligno Guajaco et cuique ligno exotico anteponere. Tantumdem et ego cum veritate perhibere possum; imo et hoc rusticis nostris non secus ac urbanis pernotum est, qui hoc remedium universim sponte in omnibus suis affectionibus catarrhalibus adhibere solent.

3° PINI *Sylvestris turiones* seu *Summitates* seu *Cymæ* nec non *fructus* dicti *Coni* seu *Stroboli*, Gallice, *Pommes de Sapin*, qui tempore verno colliguntur.

Summitates decoctæ cum cerevisia vel cum aqua vino mixta, præbent potum in scorbuticis, rheumaticis, arthriticis passionibus præferendum fere decoctis lignorum exoticorum, maxime si ejus usus mensis spatio continuatur ad unc. iij., iv., vj. ante pastum, cum ordinato corporis motu, nam pellendo sudorem sanguinem ab heterogeniis particulis liberare posse creditur. Si adfuerit consideranda plethora, hæc prius minuenda, quia motum sanguinis excitat. Ita potus ille paratur:

℞. *Summitat. Pini*, m. iij.
Cerevisiæ vel *aquæ c. vino*, mensur. ij.
Coq. in diplomate p̄. ¼ horæ.

F. expressio, cujus dosis potest esse ad uncias sex. (*m*).

(*m*) SIMON PAULLI, Quadripart. p. 539 seq. Item RIEGER, ibid. T. I, part. I, p. 3 seq.

GUMMI *Arabico* et *Senegalensi*,

SUBSTITUUNTUR:

1° GUMMI *Cerasorum*, *Malorum*, *Prunorum* &c.

Jam vivente *Prospero Alpino* autumabant nonnulli Gummam Arabicam, ac eam ex cerasis, prunis, persicis, pomis, pyrisque desumptam omnino similes esse *(n)*. Qualitates horum gummi medicinales easdem agnovêre practici: D. *Wauters* ac patruus ejus multorum annorum experientia identitatem illam docti fuerunt, ubi in diarrhœis, dysenteriis, gonorrhœis sæpenumero indigenum hoc loco exotici prospere adhibuerunt. " Hoc
" gummi addit *Wauters (o)*, nunquam prout ex arbo-
" ribus affertur in usum trahendum est, sed prius in
" aqua solvendum, colando a sordibus mundandum et
" inspissandum est.
" Datur siccatum ad drachmam unam in pulverem
" contusum, vel in vehiculo solutum; vel minori sed
" sæpius repetita dosi".

2° Extractum radicis
ALTHÆÆ officinalis. *LINN.*
Althææ Dioscoridis et *Plinii*. *BAUH. pin.* 315.
Althææ, *Ibisci*. *DOD. pempt.* 655.
Gallice, *Guimauve ordinaire.*
Belgice, *Witte Malue* of *Althea.*

Ex radice hujus plantæ, quæ hic apud nonnullos rusticos colitur et in quibusdam Galliæ locis sponte crescere dicitur, componi potest gummi in omnibus gummi Arabico par; inquit *De Beunie (p)*. Mucilago ejus, juxta *Cartheuser (q)* et *Burtin (r)*, (quæ fit radicem

(n) Vid. PROSPERUM ALPINUM, de Pl. Ægypti, p. 8.
(o) Ibid. p. 19.
(p) *Gekroonde Mem. superius citat. p.* 11.
(q) Mat. med T. I, p. 268.
(r) Ibid. p. 27 seq.

recentem infundendo, dein coquendo et decoctum per pannum duplicatum trajiciendo) inspissata et siccata, extractum constituit gummosum vel potius verum gummi, in aqua solubile, demulcens, relaxans et emolliens, ipsi gummi Arabico, colore quidem magis fusco et turbido, sed non virtute medica absimile. Obtinuit celeb. *Burtin* ex unciis duabus cum dimidia radicis recentis drachmam unam extracti sicci sive gummi: *J'ai répété plusieurs fois cette expérience* infit.

JALAPPÆ,

SUBSTITUITUR:

1° BRYONIA *alba. LINN.*
Bryonia alba, baccis nigris. BAUH. pin. 297.
Gallice, *Brionne blanche à baies noires.*
Belgice, *Wilde Wyngaerd.*

Radix Bryoniæ prout Jalappæ hydragoga est, utraque ne tormina excitet, melius exhibetur in vehiculo mucilaginoso aut spirituoso quam sola, et utraque prompte et breviter agit; ubi contrà scammonium et omnes succi extractaque resinosa lentius et diutius operantur. Præscripsi ego et præscribo adhuc interdum radicem Bryoniæ, at semper cum admixtis aliis. Optime mihi succedit apud hydropicos, cum ei amara aromatica, Allium, radicem Gentianæ, Galangæ, Calami aromatîci addo, in infuso vinoso, vel spiritu frumenti facto.

Dosis radicis pulverisatæ est granorum x. ad xx., aliquando in hydropicis ad xxx. extenditur. D. *Burtin* asserit eam dosim omni periculo carere et undique simili Jalappæ dosi æquipollere; quod in sua praxi se sæpius observavisse adjicit..... *ayant employé familièrement le Jalap dans le cours ordinaire de ma pratique*, inquit, *et...... ayant administré très-fréquemment la Brionne aux pauvres, il ne m'a pas été possible d'observer la moindre différence dans leur action: leurs doses sont égales.* " *La Bryonne est celui des drastiques*

indigènes, *qui mérite la préférence*, ait D. *Desbois* (*s*).

D. *De Beunie* in Commentario suo a Societate Scient. et Litt. Bruxellensi anno 1782 coronata, Belgice conscripto, hæc habet: "absque exageratione profiteri ausim, me, tempore quo officio medici pauperum fungebar, minimum mille hydropicos, leucophlegmaticos, œdematosos percuravisse; dando nunc succum, nunc pulverem Bryoniæ nostræ ad drach. semis ter in die, et sæpe ad drach. j. dum radix recens erat, etiam ter in dies, addendo hoc casu, quo vis emetica infracta fuisset, anaticam partem cremoris tartari, dosim semper ægri viribus accommodans. Subin cadentes vires erigere opportebat. Ob victum (adjicit) inter homines istos insalubriorem et amictum nudiorem, vix præteriit dies quin novus ejusmodi æger se tractandum offerret, et pauci ex iis non curati mansêre" (*t*).

Ad stabiliendas Bryoniæ laudes D. *De Beunie* citat *Helmontium* (*v*), *flora Carniolica* (*u*), *Ettmullerum* (*w*), *Happerum*, *Boulduc*, *Avicennam*, *Forestum*.

Si cupimus habere resinam Bryoniæ, superaffundimus pulveri spiritum vini; post debitam digestionem in balneo maris, fit expressio. Liquido expresso additur aqua frigida, et resina præcipitata dein separatur, lavatur et exsiccatur.

2° RHAMNUS *Catharticus*. *LINN*.
. . . . *BAUH. pin*. 418.
Rhamnus sativus. *DOD*. *pempt*. 756.
Cervi spina. *CORD*. *Hist*. 175.
Gallice, *Bourg-Epine*, *Nerprun*, *Noirprun*.
Belgice, *Rhynbezie-boom*.

Invenitur frutex ille in locis incultis ſponte crescens;

(*s*) Ibid T. I, p. 376.
(*t*) Ibid. p. 18.
(*v*) Ortus med. Lugdini, 1667. p. 320, §. 40.
(*u*) An. 1760. p. 267.
(*w*) OP. omn. T. I, p. 756.

sed cultura ejus multum emolumenti afferret, juxta *Rob. Boyle*, *Du Hamel*, *Tragum*, *&c.*

Baccæ ejus fortiter purgant. Dantur siccatæ et pulverisatæ ad drach. j. vel j. et semis, cum aliqua conserva vel syrupo, ut f bolus; vel baccæ n° xv ad xx coquuntur in jusculo aliquo, cui additur drach. semis vel j. cremoris tartari. " Ad emolliendam alvum ait *J. Crato (x)*, plurimum valet et sine molestia eam movet sequens medicamentum:

℞. *Succi spin. cervin.*
Mell. ā lib. j.
Sacchar. unc. iij.
Decoq. ad spissitudinem mellis.
Datur ab unc. semis ad j. et semis.

Verum et liquidiore forma apud nos prostat sub nomine syrupi de Rhamno cathartico. *Sydenham (y)* plurimâ experientiâ doctus, hunc syrupum commendat: " Iis qui catharsi prompte cedunt, aquas inquit, sat „ copiose elicit..... nec sanguinem perturbans, nec „ urinam reddens coloratiorem pro reliquorum purgan- „ tium more: id tantùm habet incommodi syrupus ille, „ quod inter operandum ingentem sitim provocet. Quod „ si idem vel in summa dosi aliis propinetur qui ægre „ expurgantur, neque multæ sequantur dejectiones, ne- „ que eæ multa aqua ùt debuerant refertæ ". Attamen valorem hujus medicaminis evidentissime probant experimenta D.ni *De Beunie*, qui non dubitat dicere *(z)*: " succus horum fructuum maturorum sive merus sive in syrupum redactus, excellens medicamen purgans constituit, et quamvis id pluries millies adhibuerim et fere indies adhuc adhibeam, nunquam sitim de qua *Syden-*

(*x*) Epist. Phil. med. ac chym., Volum. foras dat. a LAURENTIO SCHOLZIO. Hanoveræ, 1610. p. 212.
(*y*) *Oper. T. I. p.* 336.
(*z*) *Ibid. p.* 58.

ham, nec hypercatharsin de qua *Garidel*, observavi; contra semper, præsertim ubi serosi humores evacuandi erant, mihi omnino satisfecit".

Ad præcavenda tormina quæ hujus usui quandoque superveniunt, juvat magnam copiam potûs demulcentis assumere. Vidit frequenter *Cullen*, serum lactis caprini cum successu in hunc finem adhiberi (*a*).

Putat D. *Burtin*, hunc syrupum infirmiorem, et idcirco extractum utpote violentius, magis convenire; hocque Scammonio posse surrogari.

3° MIRABILIS *Jalappa*. *LINN.*
Jalappa flore purpureo TOURN.
Gallice, *Belle de nuit.*
Belgice, *Schoon by nachte.*

Colitur in hortis.

Radix hujus plantæ multum extracti gummosi et resinosi continet: hoc sat potenter, illud vero admodum parum purgat; dosis gummosi drachmæ unius, auctoribus DD. *Coste* et *Willemet*, vix purgans constituit, et propterea ei grana x. extracti resinosi addebant. Nobis constat pulverem, conspirantibus experimentis, eumdem edere effectum ac radicem Americanam, modo minimum dupla dosi præscribatur. Persona mediocris constitutionis ait D. *Burtin*, sumpsit Jalappæ Europææ scrup. iv., atque nec tormina nec hypercatharsim experta est, ubi e contrario gr. xx. Jalappæ Americanæ sufficientem adulto dosim constituant.

In horto meo Jalappam Europæam abunde olim colui et radicem ejus in pulverem redigi curavi; sed ob inertiam ejus, vix sine pauco Jalappæ Americanæ et tartritis acidulæ potassæ addito, illam exhibui. Quantum recordor, dedi initio drachmas duas pro dosi, quod ægris nimis voluminosum et assumptu difficile accidebat.

(*a*) *Traité de mat. med. T. II, p.* 566.

4° GRATIOLA *officinalis. LINN.*
Gratiola centauroides. BAUH. pin. 279.
Gratiola. DOD. pempt. 362.
Gallice, *Gratiole* ou *Herbe à pauvre homme.*
Belgice, *Gratiola* of *Gods genaede.*

In hortis colitur.

Vim catharticam et emeticam vehementem possidet, quod in se ipso expertus est *Gesnerus (b). Boulduc* ultra virtutem aquas sus deque evacuandi dum datur in substantia, longa experientia invenit, eam quoque lacti infusam ascitem et vermes prospere et sine ulla violentia evacuare; item radicis pulverisatæ drachmam dimidiam in dysenteria Ipecacuanhæ ferme æquivalere *(c).*

Folia Gratiolæ adhibentur a drach. j. ad iij. pro infuso in s. q. aquæ super cineres calidos, quod edulcoratur saccharo aut melle. DD. *Coste* et *Willemet* septies illo usi sunt ad purgandos œdematosos, et asserunt, effectum hydragogum sine torminibus et sine virium deperditione inde secutum esse. Itidem duodecies eo usi sunt in saburra pituitosa, febre erratica, hydrope et vermibus. I.[ll] *Störck* pulverem hujus radicis ad drach. semis datum in hydrope laudat tamquam insigne diureticum *(d).* D. *Burtin (e)* qui pro sua parte citat *Boulduc* et *Kramer*, nec non *Kostrzewski (f)* hanc radicem vomitorio habent.

Videmus itaque vires Gratiolæ non admodum constantes esse. Elapsis jam 24 annis illam in horto meo plantabam et Jalappæ substituere gestiebam: at fallaciam ejus edoctus, a cœpto brevi destiti. Pessimum sane, si remedium aliquod adhibentes, ignoramus an emeticam an drasticam, an nimiam an vero nullam vim sit exerturum.

(*b*) Epist. med. Lib. III, p. 94.
(*c*) Coll. acad. Part. Franc. T. II, p. 208
(*d*) Medicinisch prakt. Unterricht. 1 Theil. p 36.
(*e*) Ibid. p. 89.
(*f*) Dissert. Inaug. habita mense Majo, Vindobonæ, 1775.

Optimum foret infusum exhibere per partes: sic *Watson* infundebat drach. semis folior. sicc. in aq. bullientis unc. iv. diger. p. 2 hor. et col. Hujus infusi unc. semis dabat omni bihorio pueris quadriennibus, donec alvus moveretur, et asseverabat Doctori D. *Monro*, id leniter et feliciter operari. Vid. Hujus opus sub titulo: *A treatise on med. and pharmaceut. chymistry &c.* Vol. III, p. 291.

5° RHAMNUS, *Frangula. LINN.*
Alnus nigra baccifera. BAUH. pin. 428.
Frangula. DOD. pempt. 784.
Gallice, *Aulne noire*, *Bourgène.*
Belgice, *Sporkenhout*, *Pylhout.*

Crescit sat frequens in regionibus Galliæ borealibus in locis nemorosis humidiusculis.

Cortex ejus dicitur vi summe drastica pollere et tantum a plebe in decocto contra hydropem, asthma humidum &c. adhiberi *(g)*; hydropicis et cachecticis conducere censent *Mathiolus*, *Tragus*, *Ettmullerus* *(h)*; acriter purgare notant *Simon Paulli* (*i*), *Chomel* (*k*) &c.; " Cortex medianus recens infit hic Auctor, emeticus est, sed purgans cum siccus est ".

Dosis drachma una in substantia, et duarum drachmarum vino albo infusi. Adjicitur aliquod aroma vel sal fixum v. g. sal absinthii, quominus ventriculum subvertat.

IPECACUANHÆ,

SUBSTITUITUR

1° ASARUM *Europæum. LINN.*

(*g*) Lexic. BLANCARDI, cui quæ noviter inventa sunt addidit ISENFLAMM. Lipsiæ, 1777.

(*h*) Vid. TRILLERI, Dispens. pharm. univers. Lovanii, 1781. T. I, p. 143.

(*i*) Quadripart. botan. p. 61.

(*k*) Ibid. T. I, p. 22.

Asarum. *BAUH. pin.* 197.
. . . *DOD. pempt.* 358.
Gallice, *Cabaret*, *Oreille d'homme.*
Belgice, *Hazelwortel*, *Mans - ooren.*

Apud nos in hortis colitur.

Principiis suis constituentibus cum Ipecacuanha coincidere videtur, licet aliquando venenis adnumeratum fuerit, quum ab imprudentibus sine debitis cautelis præscribebatur. Vis ejus adstringens etiam demonstrata est experimentis D.ni *Durande* (*l*).

Radix Asari pro Ipecacuanha venditur, nec multum abest quoad virtutes, teste *Boerhaave* (*m*); illum radici Ipecacuanhæ prævalere docet *Erhart* (*n*); ipsi æquivalere volunt *Hoffman* (*o*), *Linnæus* (*p*), *Kramer* (*q*), *Gerhard* (*r*). Sequentia scribit D. *Pallas* (*s*): "... Experientia docuit D.m *Gillibert*, radicem Asari nequaquam cedere Ipecacuanhæ, ipsamque datam in pulvere sive ad gr. xij. sive ad xxx, semper eumdem sortiri effectum, quod stomachus eam ad primum conatum resumpto extracto, rejicit: sic ut major dosis haud violentius operetur ac multo minor. Grana xx. pulveris Asari cum solutione trium unciarum Mannæ, post v. vel vj. vomitiones, ample purgant". *Van voltelen* (*t*), *Pereboom* (*v*), *Walkiers* (*u*) hanc substitutionem prorsus approbant; et *Fernelius* radicis Asari usum insigniter extollit (*w*).

(*l*) *Nouv. Mém. de l'Acad. de Dijon. I. Semestre*, *p.* 89 *et* 98.
(*m*) Hist. Plant. p. 558.
(*n*) Pflantzen-Hist. 11 B. p. 172.
(*o*) Med. rat. syst. Sect. II, c. V.
(*p*) Amœnit. acad. T. VII, p. 307.
(*q*) Comm. Noric. a. 1733. p. 45.
(*r*) De Med. exot. raro vel nunquam. adhib. p. 80.
(*s*) *Obs. sur les vertus méd. de quelques Plantes indig., dont les modernes ont ou meconnu, ou négligé l'utilité, par* J. E. GILLIBERT. *Extrait par M.* PALLAS.
(*t*) *Handelingen van het Genootf.* Sevandis Civibus. *Amsterdam, Deel VII*, *p.* 33.
(*v*) *Dit zelve werk*, *p.* 375.
(*u*) Diss. de emet. Lovanii, 1781. p. 24.
(*w*) P. 119.

Animadvertente *F. Hoffmanno* et experientia DD. *Coste* et *Willemet* comprobante, debet radix illa minimum semestri spatio in aëre libero exsiccata esse, antequam in usum trahatur, ut quam habet recens virulentiam, omnino exuat. Post duorum vel quatuor annorum lapsum adhuc blandius operatur, imo severior exsiccatio eam plane effœtam reddere potest *(x)*.

Notandum quoque Asari radices aut folia coqui non posse, quin vim emeticam perdant, et illas in tenuissimum pulverem redigendas esse ut hanc vim debite exerceant; alioquin in pulvere grossiori alvum ducerent; ut videre est apud *Geoffroy (y)*, *Mathiolum (z)*, *Linnæum (a)*. Folia radice duplo efficaciora sunt.

Dosis radicis ordinaria in pulvere tenuissimo est semidrachma aut parcior, ex vino sumenda. Duplo majores doses exhibuit *Linnæus (b)* nec non Professor *Spielman*. Hic et in infuso radicem dabat ad unciam unam. Aquæ infusa vim emeticam egregie perdit.

Juxta DD. *Coste* et *Willemet* data in pulvere a gr. xxiv. ad xl. in vasculo theæ aut juris carnis vitulinæ, excitat tres vel quatuor vomitiones. A drach. j. ad ij. tenuitur incisa et 4 horas infusa in vini albi unc. iv., colaturam largitur quæ mane jejuno ventriculo hausta, eumdem edit effectum. Hoc modo Asarum exhibuêre decem rusticis, qui omnes fere versabantur eo in laxitatis cachecticæ statu, qui febres intermittentes autumnales sequi solet. Debilioribus ajunt, melius administratur pulvis, quia sic resina ejus minus extricata, minori etiam energia ventriculum vellicat. Non obstante hac cautelâ, pœnituit hos Auctores dedisse xlviij grana pulveris homini robusto, qui inde acutissimos colicos

---

(x) NEUMANNS, Chem. Edit. Zimmerman. p. 897.
(y) Mat. med. T. V, p. 224.
(z) In Dioscoridem. p. 36.
(a) Loco cit. et Flor. Suec. p. 161.
(b) Mat. med. p. 119.

dolores patiebatur, editis primo quatuor vomitionibus magno stipatis nisu. Has sequebantur quinque excretiones alvinæ, quarum ultimæ tantillo sanguinis erant tinctæ. Enema de lacte saccharato symptomata ista sine ulterioribus sequelis dissipavit.

Cel. *Burtin* in primo suo tentamine dabat, auctore *Tournefortio*, radicis unciam dimidiam infusam per noctem in scypho vini albi, cujus colaturam postridie sumebat sat robustus æger; edebat autem 16 vel 17 rejectus binis vicibus et duo sequebantur secessus. Quamvis æger nequaquam fatigatus appareret, dosis tamen Auctori largior visa est; quocirca data deinceps medietas ipsi omnino satisfecit. Porrigebat in pulvere grana xxx. ex cyatho aquæ, quod adeo successit, ut dicere non dubitet: *S'il m'étoit permis, je n'employerois jamais d'autre vomitif (c).*

Ultra modum datum Asarum funestum accidere potest. Sic vidit *Wedelius (d)*, juvenem sumpto cochleare pulveris foliorum Asari, indomabili hypercatharsi periisse.

Folia Asari ipsa radice duplo efficaciora dixi: hac promiscue infusi formâ præscribuntur. Secundum pharmacopœam Londinensem 12 folia sicca vini albi unciis viij. infusa, *fournissent un émetique qui n'est pas à négliger (e)*, ut propriis verbis utar.

En binæ formulæ quibus folia exhibebat D. *Walskiers (f).*

℞. *Fol. Asari recent.* n° v. ad x. probe abluta et minutim concisa infunde in *Aq. card. bened.* unc. iv.
Diger. calide p̄. noctem vase clauso
Add. *Oxymel. simpl.* unc. j.
M. sumatur una vel duabus dosibus.

(c) Ibid. p. 44.
(d) Amœn. mat. med. L. II, §. 2, c. IV, p. 240.
(e) Ibid. *T.* I, p. 34.
(f) *Verhand. van het Genootf.* Servandis Civibus. *Deel VII*, *p.* 311 *seq.* n° 42 *et* 43.

Est lene vomitorium, sed fortius est sequens, inquit:

℞. *Fol. Asári.* n° IX.
Terantur cum *Oximel. simpl.* unc. j., ut successive in consistentiam liquidam abeant, et diluantur s. q. *aq. Card. bened.*

Sequens est formula *Ettmulleri*:

℞. *Succ. ex fol. Asari recent. trit. expressi.* dr. iij.
Oximel. simpl. unc. j.
Aq. Card. bened. unc. vj.
M. sumatur unica vel duabus vicibus.

Folia Asari inquiunt *Coste* et *Willemet*, ad 4 vel 12 n.°, cum pauco Cinamomi, in q. s. aquæ communis, per noctem super cineres calidos digeruntur: colatura melle vel syrupo violarum edulcorata mane sumitur.

Hæc ultima Asarum præscribendi methodus (addunt) illud potissimum Ipecacuanhæ assimilat, quoniam evacuato stomacho, secessuum frequentiam tenesmosque inhibet. Id sex experimentis constitit. Tandem concludunt sic: " Cùm his diversis Asarum exhibendi normis, faciles et abundantes evacuationes adepti simus, nihil obstat quominus secure Ipecacuanhæ substituatur:

2° *Radices* VIOLÆ *odoratæ LINN.*
Violæ martiæ, purpureæ flore simplici, odoro. BAUH. pin. 119.
Violæ nigræ seu *purpureæ. DOD. pempt.* 156.
Gallice, *Violettes.*
Belgice, *Violetten* ofte *Violen.*

Crescunt juxta vias plurimis locis et in horto coluntur.

D. *Barrere* qui vidit Ipecacuanham in loco suo natali crescentem, demonstravit, illam locandam esse in classe Violarum. Id induxit, ut experimenta institueren-

tur cum radice Violæ nostratis. *Linnæus* illam adinstar Ipecacuanhæ administravit et faciles evacuationes sus deque produxit. DD. *Coste* et *Willemet* præscribebant radicis illius drachmam dimidiam sumendam ex unciis quatuor tenuis decocti foliorum ejusdem plantæ, edulcorati cochleare syrupi ejusdem. Hæc potio vomitum unum et tres modicas dejectiones alvinas procurabat. Dein cùm dosis æquo parcior ipsis videretur, loco drachmæ dimidiæ præscribebant scrupulos duos imo drachmam. Quo medicamentum hoc fuisset sumptu facilius, alia methodo id exhibuerunt : nempe, capiebant ejusdem radicis siccæ et tenuiter incisæ drachmas duas, quas decoquebant leniter sed diu, in aquæ communis unciis sex, reducendis ad uncias quatuor, iterum syrupo ejusdem plantæ edulcorandas. Notant hi Auctores, dosim pulveris augeri posse ad srupulos quatuor, et pro singulo decocto ad drachmas tres; addunt demum, medicamen hoc constituere lene evacuans, nullos excitans effectus perniciosos.

Tandem ut æquitatem hujus substitutionis demonstrarent, duas adjiciebant observationes, scilicet : " Duo dysenterici ætatis 20 ad 30 ann. in circumstantiis in quibus Ipecacuanha præscribi assolet, sumpserunt hujus loco potionem nostram Violaceam juxta secundum præscriptum, et adimplevit eadem die duas indicationes quibus Ipecacuanha ordinarie tantum repetita vice satisfacit : Vomuerunt unus bis alter ter, et quinies alvum deposuerunt. Erat tum tertia morbi dies. Quinta die iterum sumpserunt eamdem potionem, et nunc nullus excitabatur vomitus. Potus ipsorum erat saturata infusio florum istius plantæ, hujus syrupo edulcorata. Evacuationes morbosæ sensim intensitate et frequentia diminuebantur, non secus ac reliqua morbi symptomata; et æque bene judicata fuerunt ac si Ipecacuanhâ fuissent tractata.

DD. *Coste* et *Willemet* dicunt etiam radicem VIOLÆ *Caninæ. LINN. Violette inodore sauvage*, vice præcedentis esse posse; sed se illam semel dumtaxat, juxta

posteriorem formulam, adhibuisse; et usum ejus insecutas fuisse, unicam vomitionem et septem dejectiones.

3.° *Radices* PARIS *Quadrifoliæ. LINN.*
Solani quadrifolii bacciferi. BAUH. pin. 167.
Paris. DOD. pempt. 444.
Gallice, *Paris, Raisin de renard, Herbe à Paris.*
Belgice, *Wolfs-bezien* ofte *Spinnekoppen.*

Crescit in locis umbrosis, in nemoribus, &c.

Linnæus (g) vim radicum emeticam exhibet atque ob operandi benignitatem eas Ipecacuanhæ substituendas primus proposuisse videtur. *Vogel* eas dupla dosi datas Ipecacuanhæ æquiparat *(h)*. *Schwencke* asserit *(i)*, ipsas adinstar Ipecacuanhæ vomitum excitare, si magna dosi præscribantur. DD. *Coste* et *Willemet* vim emeticam in iis agnoverunt quum tribus personis diarrhœis et torminibus affectis cum successu et levamine illas præscriberent.

Si radix hæc (quod æque pro aliis vomitoriis valet) inertior visa fuerit, vim emeticam acuere licet, addendo granum unum *Tartrit. potassæ antimon.* (*Tart. emet*).

Robustus eremita ter sumpserat in vanum vomendi causa *Tart. emet.*; imo dupla dosi ipsi datus solos secessus produxerat sine vomitu: cum autem granum unum *Tart. emet.* ei dabatur et elapso post horæ quadrante scrupuli duo radicis *Paris quadrifoliæ*, quater sat copiose vomuit *(k)*.

Filiæ ætatis 35 ann. post septimum paroxysmum febris intermittentis quotidianæ, cum cruditatum ventriculi signa se exhiberent, porrigebat D. *Walkiers* drachmam

(*g*) Flor. Lappon. p. 155.
(*h*) Mat. med. p. 111.
(*i*) Ibid. p. 118.
(*k*) BUCHAN, Med. domest. T. V, p. 273.

unam radicis *Paris quadrif.*, quo ægra quater vomebat, et dein a febre liberata fuit *(l)*.

Viro 45 circiter annos nato, tertiana affecto, cum dolore capitis fere continuo, anorexia, cardialgia, nausea, lingua conspurcata &c., 10mo morbi die præbebat D. *Walkiers* drachmam unam pulv. rad. *Paris quadrif.*, sequebantur tres vomitiones copiosæ pituitæ serosæ. Dein æque a febre immunis mansit *(m)*.

Puella 19 annor. febrem quotidianam patiens et de cæphalalgia, de cardialgia nec non de sapore oris depravato conquerens, sumebat suasu dicti Auctoris drachmam unam pulveris nominatæ radicis, unde non vomebat sed quinquies secedebat (*n*).

D. *Walkiers*, adhuc 5 aliis ægris præscripsit pulverem illum, sed semper minus quam ad drachmam unica vice sumendum: inde tres ipsorum plures depositiones alvinas, duo reliqui vero nullas excretiones experiebantur.

Alias adhuc plantas Ipecacuanhæ surrogare lubuit:

1° Succus *Raphani rusticani* lene vomitorium præbet, dum interim ventriculum roborat *(o)*. Dosis secundum *Hartmann* est uncia una cum oxymell. scillit. drach. ij. (*p*); secundum *Riverium* vero unciæ tres *(q)*; itaque extendi potest ab unc. j. circiter ad unc. iij.

2° Semen hujusce plantæ ab unc. semis. ad drach. vj. in decocto, juxta eumdem *Riverium*, etiam mediocri vi emetica pollet.

3° Semen *Atriplicis hortensis albi sativi*, moderatam possidet virtutem vomitum alvumque movendi. Drachmæ duæ aut ultra, ad quatuor usque, inserviunt infuso cum aqua fervida *(r)*. *Riverius* præscribit *(s)*

(*l*) Ibid. p. 139.
(*m*) Ibid p. 142. Seq.
(*n*) Ibid p. 143.
(*o*) VALMONT DE BOMARE, *Dict. d'hist. nat.*
(*p*) Formulæ remed. &c. Lovanii, 1772. p. 18.
(*q*) Op. med. univ. Lugdini, 1679. P, 139.
(*r*) Vid. GEOFFROY, mat. med. T. III. p. 144.
(*s*) Ibid.

ceu mediocre vomitorium, semen *Atriplicis*, *Anethi*, in decocto, a drach. semis. ad drach. j.

4° Flores *Anethi*, *Genistæ*, in dococto a pug. j. ad pug. ij., ab Auctore hoc ad mediocria vomitoria referuntur. Sed etiam *Genistæ hortensis* flores et semen vomitum movent cum vehementia a drach. ij. ad unc. semis data *(t)*.

5° Semen *Erucæ* ad unc. semis, libris ij. aquæ calidæ infusum, sat ordinarie vomitum procurat.

6° Cortex *Rhamni*, *Frangulæ*, ad pugil. j. in lacte coctus, lenissimum vomitorium præstare dicitur.

7° Radix *Lapathi acuti* pariter. Datur forma pulveris ad drach. j.; et ut certius effectum sortiatur, superbibitur sensim decoctum manipuli unius foliorum *Vincetoxici*. Laudatur radix illa tamquam sanguinem mundificans, et cum sæpe, initio praxeos meæ, hoc titulo ipsam in decocto præscriberem, aliquoties vidi vomitum inde cieri, et sic primum fortuita experientia emeticas ejus vires detexi. Postea manuscriptum quod post mortem suam reliquit D. *Michaux* pater Professoris Botanici Lovaniensis, eas me ulterius docuit.

8° Radix *Vincetoxici*.

9° ..... *Eupatorii canabini* &c.

Assignant celebres viri *Coste* et *Willemet* etiam ceu Ipecacuanhæ succedanea octo Tithymali species, sed ob deleterias et virulentas earum qualitates, vix nisi summa prudentia et præviis opportunis præparationibus in usum trahendas. Ejusdem prosapiæ sunt et minime tuta sequentia: 1° Nicotiana, Tabacum, 2° Colchicum autumnale, 3° Ricinus vulgaris, 4° Euphorbium, 5° Helleborus, 6° Napellus, 7° Staphis agria, 8° Nux vomica.

Ipecacuanhæ tandem surrogari quirent diversa mineralia, inter quæ certo eminet

---

(*t*) PREVOT, Medicina pauper. p. 512, et HALLERUS, Hist. stirp. indig. Helv. T. I, p. 154.

TARTARUS EMETICUS, sive *Tartris potassæ antimoniatus*, *s. stibiatus.*

Is semper ceu optimum et efficacissimum remedium æstimatus fuit; et jam magis quam olim ob insignes suas qualitates in morbis tam acutis quam chronicis (*v*). Sed summi interest ut medicus non ignoret quo modo sit præparatus, scimus enim quantum hujus compositio in diversis pharmacopœis Parisiensi, Edinburgensi, Suecica &c. et apud diversos Auctores differat (*u*). Paratus enim vitro antimonii fortissimus; croco metallorum, mitior; hepate antimonii, mitissimus. Nec indifferens an sit crystallisatus an simpliciter in pulverem exsiccatus; hic enim longe potentior priore, ut qui plus reguli contineat. Verbo oportet ut medicus noverit suum medicamentum: et omni casu prudens erit, qui illum in amplo vehiculo partitis admodum dosibus præscribit. Sic v. g.:

℞. *Tart. emet.* gr. iv.
Aq. cōīs. lib. j.
Syr. alth. unc. j.
M.

Dentur duo cochlearia omni horæ quadrante donec sufficiens effectus sequatur.

Tartarus emeticus hac norma datus non modo adinstar Ipecacuanhæ qua lene vomitorium considerari potest, sed etiam nonnullis casibus huic præferendus est, velut DD. *Voltelen*, *Walckiers*, *Terhorst*, *&c.* lucide demonstraverunt (*w*). Casus præcipui, ubi id locum obtinet, sunt:

1° *Ubi materia evacuanda spissa, tenax, glutinosa*

(*v*) Vid. HIRSCHEL, Von den vorzüglichen Nutzen und Gebrauch des Brechweinsteins.

(*u*) Vid. quæ habet D. CAILLE, *Mém. de la Soc. R. de méd. de Paris*, 1779. *p.* 520.

(*w*) *Handel. van het geneesk. Genootſ.* Servandis Civibus. *Deel VII.*

est. *Voltelen* anno 1780 expertus est in febribus gastricis, biliosis et bilioso-pituitosis, Ipecacuanham etiam apud varios pharmacopolas emptam fomitem illum tenacem non educere; Tartarum vero emeticum id pro votis constanter et prompte præstare (*x*). Idem testantur sibi contigisse *Tissotus* (*y*), *Baker* (*z*), *James Sims* (*a*), *Stoll* (*b*). Dicit Cel. hic vir (*c*): " Radix Ipe-
,, cacuanhæ subinde effœta, aut si etiam recens sit,
,, non raro mucosis ventriculi sordibus involuta aut
,, nullum, aut non pro dignitate, aut alium, quam qui
,, quærebatur, effectum producit. ,.... In delicatiori-
,, bus contigit, ut nauseosam radicem vix devoratam
,, fastidiosi rejicerent, et sperato effectu frustrarentur".

Plurimi hic insufficientiam Ipecacuanhæ docti, addiderunt ei Tartarum emeticum. " Tartarus emeticus ait
,, *Quarin* (*d*), additur ad viscidum bilioso forte junc-
,, tum attenuandum, ejiciendumque; cum ut supra lau-
,, datus *Zimmermann* observat, sola Ipecacuanha in
,, pituita repleto, hinc minus sensibili, ac difficilius
,, irritabili stomacho, sufficientem effectum non præ-
,, stet...... sola Ipecacuanha minus satisfacit " (*e*).
Huic sententiæ adhæsit *Delacroix* (*f*); *Roederer* et *Wagler* id quoque compertum habuerunt (*g*).

2° *Ubi una et vomitum et alvum movere expedit.*

Non est hujus loci ostendere quandonam hoc necessum sit: satisfecero si demonstrem, hoc præ Ipecacuanha potissimum antimonialibus, nominatim Tartaro emetico, effici. Amplissimæ experientiæ meæ jungo istud:

(*x*) *Ibid. p.* 11. 55.
(*y*) *Diss. de febre bilios. epid. Lausann. p.* 36.
(*z*) Vid. SANDIFORT, Thesaur. dissert. Vol. II, p. 375.
(*a*) Vid. Comment. Lipf. de rebus &c. Vol. XXII, p. 104.
(*b*) Rat. med. ed. Vien. Part. I, p. 59.
(*c*) Ibid. p. 58 seq.
(*d*) Meth. med. febr. Francofurti, 1779. p. 9 seq.
(*e*) Ibid. p. 43.
(*f*) *Annal. de la Soc. de méd. pr. de Montpellier 7bre* 1808. *p.* 180 *et* 181.
(*g*) De morbo mucoso, passim.

" Choleram Ballonio laudatam, tamquam veram pleu-
„ ritidis biliosæ crisin, antimoniali emetico ars naturæ
„ imitatrix movet ". ut ait *Stoll* (*h*). " In putrida febre
„ (scribit *Bang* (*i*)) Ipecacuanhæ semper prætuli tar-
„ tarum emeticum, propter perfectiorem ex hoc effec-
„ tum alvi junctam solutionem. "

Quod Ipecacuanha hunc effectum minus procuret, legere est apud *Pisonem* (*k*), *Geoffroy* (*l*), *Tissot* (*m*), *Quarin* (*n*), *&c.*

3° *Ubi simul cum vomitu augmentum perspirationis indicatur.*

Vomitoria antimonialia postquam primas vias expurgarunt, in sanguinem absorpta perspirationem et sudorem promovent, quod in febribus eruptivis (*o*), morbis cutaneis (*p*), angina putrida gangrænosa (*q*), tussi ferina (*r*), arthritide, podagra (*s*), rheumatismo (*t*), et sæpissime in dysenteria et omnibus morbis catarrhalibus (*v*) maximi ponderis est. " Quum huic medicinæ
„ (tartaro emetico) non virtus solum emetica, alvum-
„ que laxans, sed diaphoretica quoque et diuretica sit
„ vindicata &c. qua in re convenit cum sulphure anti-
„ monii aurato, quod itidem primo per emesin alvique

(*h*) Ibid. Tom. I, p. 78.
(*i*) Act. Hafnienf. Vol. II, p. 186.
(*k*) Hist. Ind. Lib. II, cap. IX.
(*l*) Mat. med. T. II, p. 93.
(*m*) Ibid.
(*n*) Ibid.
(*o*) Vid. GUNDELSHEIMER, Act. Berol. Decad. II. Vol. II, p. 48. HUXHAM, Op. T. II, p. 134 seq. HIRSCHEL, Medicinische Nebenstunden. Berlin 1772. BAUMES, *Journal de méd. &c. T. IV. Janv.* 1781. *p.* 51.
(*p*) HIRSCHEL, ibid.
(*q*) BOULLAND, Comment. de rebus &c. Vol. I, p. 91.
(*r*) HOFFMAN, Med. rat. syst. T. III. S. II, C. 8.; HARMSTRONG, *Essay on the diseases most fatal to Infants. p.* 81. 95.; FOTHERGILL, *Med. obs. and inquir. Vol. III*, *p.* 319.
(*s*) SMALL, *Journ. de méd. Sept.* 1780. *p.* 224.
(*t*) HIRSCHEL, ibid.; BROCKLESBY, *Œconomical and medical obs.*; BICKER, Mat. med. pract. p. 4.
(*v*) PRINGLE, HUCK, TISSOT, RUSSEL, MONRO, SIMS, SELLE, SARCONE, STOLL, SAUVAGE &c., &c.

„ solutionem, dein sola efficaci diaphoresi agere ani-
„ madvertitur; inquit *Ostermann (u)* ". Suum vinum antimonii vocat *Huxham* Tartari emetici liquidi maxime attenuati speciemqua vomitum excitare, alvum movere, et sudorem excitare valebis *(w)*.

4° *Ubi fortior vis emetica indicatur, sive ubi ventriculus inertior est quam qui levi Ipecacuanhæ stimulo sufficienter moveatur.*

Id contingit 1° in apoplexia, caro, comate a causa frigida ortis *(x)*; 2° in paralysi *(y)*; 3° amaurosi *(z)*; 4° concussione encephali *(a)*; 5° mania *(b)*; 6° hydrope *(c)*; 7° in submersis *(d)*; &c.

5° *Ubi quædam pulmonum incommoda oriuntur ex humoribus serosis, catarrhalibus; ex tenaci saliva in variolis confluentibus, vel alia materia morbifica in pulmones delata, in his accumulata, retenta, eos obstruente:*

In his casibus indicatur emeticum potens, resolvens, penetrans, diaphoreticum; quas proprietates antimonialia præ Ipecacuanha possident.

Sydenham ubi suppressa salivatio in variolis con-

(u) De tartaro emet. p. 13.

(w) Op. T. III, p. 163. et T. II, p. 207.

(x) In his et assignatis aliis casibus subsitutio tartari emetici approbatur summis auctoritatibus: pro n° 1°, vid. Act. Soc. Hafnienf. Vol. I, p. 99. et HALLERI, Coll. diss. anat. T. II, p. 549. Emetica antimonialia hic etiam consulunt MAJERNE, CARDALUCIUS, SYDENHAM, DE MOOR, WILLIS, RIVERIUS &c., &c.

(y) VAN SWIETEN, Commet. T. III, p. 381.

(z) FARRE, *Journ. de méd. T. XX, p.* 346 *seq.*; RICHTER, Comment. de rebus &c. Vol. XX, p. 613; SCHMUCKER, Chirurg. Wahrnehmungen. T. I, p. 474; GEISLER, de vomitoriis, p. 17; St. YVES, MEAD, LIEUTAUD, &c.

(a) *Si* BOUDOU, *Mém. de l'acad. R. de chir. de Paris, T. I, p.* 199. et SCHMUCKER ibid. p. 399 imitari lubet. Conf. HILDANUM, Cent. II, obf. LXXXIV., BALLONIUM, VOLTELEN, &c.

(b) LORRY, de melancholia. T. II, p. 391.

(c) LA TOUCHE, *Journ. de méd., Avril* 1760. *p.* 324; et BALDINGER, Additam. ad pharm. Edinburg. p. 264.

(d) PORTAL, *Sur les asphixies. p.* 19; *et Gazette de santé*, 1780. *p.* 146.

confluentibus suffocationem minabatur, mirabiliter ægrum salvabat sua *aq. bened. Rulandi (e)*. Suppressam expectorationem in peripneumonia Tartaro emetico juvabat *Macbride (f)*; et *Quarin (g)* contra idipsum laudat *sulphur antimonii auratum* ceu accommodatissimum vomitorium. "Æger cùm post curatam anginam præmaturius se aëri frigido exposuisset, perspiratione suppressa, subito afficitur respiratione difficili, incredibili angore, aphonia, convulsivis motibus, pulsu perquam irregulari, sed dato vomitorio ex *infuso vitri antimonii Huxhami*, eum e mortis alioquin certæ faucibus promptissime eripui," ait *Voltelen (h)*. *Tissot (i)* ægrotum sub exsiccatione morbillorum iisdem omnino symptomatibus pressum, trihorii spatio liberavit, præscribendo duo grana *kerm. min.*, quæ vomitum, secessum, sudoremque ubertim provocabant.

Eadem ratione vomitoria antimonialia Ipecacuanhæ substitui debent in catarrho suffocativo, in febribus catarrhalibus, in peripneumoniis pituitosis *(k)*.

6° Tandem Ipecacuanhæ recte substituitur ubi vomitorium apud pueros indicatur.

Pueri facilius, imo inscii hoc substitutum assumunt et *(l)* plus emolumenti inde referunt, quatenus simul catharticam, diaphoreticam, resolventem anodinamque virtutem possidet *(m)*. *Hoffman (n)* illud extollit ad tollenda lactis coagula et inde pendentem respirationem difficilem. *Brouzet (o)*, *Hirschel* et *Wichmann (p)* in convulsionibus infantum.

(e) Op. T. I, p. 96.
(f) Op. T. II, p. 339.
(g) Meth. med. inflamm. p. 116.
(h) Ibid. p. 78.
(i) Epist. med. pract. p. 267.
(k) HUXHAM, Op. T. II, p. 206.
(l) Vid. TISSOT, Epist. pract. p. 206. et STOLL, Rat. med. P. I, p. 59.
(m) HUXHAM, Op. T. II, p. 207; ARMSTRONG, *An essay on the diseases most fatal to infants.*
(n) Op. supplem. I, p. 730 et 32.
(o) Tentamen de educatione physica infantum, eorumque morbis, p. 10; et comment. de rebus &c. Vol. IV, p. 482.
(p) HIRSCHEL, Gedanken die fallende Sucht betreffend.

IRIDI FLORENTINÆ,

SUBSTITUITUR:

IRIS *Germanica. LINN.*
Iris vulgaris Germanica, seu *sylvestris. BAUH. pin.* 30.
Iris. DOD. pempt. 231.
Gallice, *Flambe* ou *grande Iris.*
Belgice, *Gemeyne blauwe Zweird-lelie*, oft *gemeyn blauw Lisch.*

Colitur in hortis.

Florentina nullâ prærogativa gaudet præ nostrate, quæ illius varietas est, sive ad medicandum sive ad odorandum adhibeatur. Hanc illi surrogari posse contendunt quam plurimi Auctores, præprimis D. *Montet (q)*, qui identitatem proprietatum earum Academiæ scient. Parisinæ demonstravit, postquam jam dudum innotuerat constanti experientiâ diu protractâ, sive ex quo Herborista Lotharingus hanc primus fraudulenter aut potius scienter priori substituerat.

Optimum est radicem effodere tempore æstatis: quippe quæ sic albior et magis odorifera est. Abscinduntur fibrillæ, defricatur non lavando terra, et cultro auferuntur externus pallido-rubicundus cortex, omnia viridia et nigra, ita ut residuum totum album sit. Deinde in taleolas lineis duabus ad sex crassas discinditur, quæ taleolæ ab invicem separatæ cribro crineo vel alii plano imponuntur, et maximo solis ardori, quod optimum est, vel vento boreali, vel calori furni aut alterius ignis, exponuntur. Sæpius invertuntur et arcetur omnis ros aut alius mador. Exsiccando medium suæ gravitatis amittunt. Quo albiores sunt, eo melius exsiccatio successit. Odoriferum illud non in succo continetur, sed in magmate, modo confestim siccetur. Suc-

---

(q) *Hist. et mém. de l'acad. des sciences*, 1772. *P. I, pag.* 657.

cus insigne hydragogum est, et uno alterove ovi vitello mixtus, efficax contra hydropem remedium præstat. Dosis cochlear unum, quæ deinceps sensim augetur. D. *Montet* siccam radicem omnino æque potentem in medicina ac radicem Iridis Florentinæ reperit: pariter in iis præparatis, in quibus odoris gratiâ adhibetur, æque utilis est. Comatores illum in pulvere suo æque convenientem existimant: et in spiritu vini infusa, intra duas septimanas æque coloratam et odoriferam tincturam largitur ac ipsa Florentina.

Decem ultimis annis quibus ruri medicinam feci semper indigenam hanc plantam æquali successu ac antea exoticam præscripsi.

Tam mira est efficacia ejus inquit *De Beunie* (*r*), ut incredibilis appareat inexpertis.

Sed reflectendum dosim debere esse sat magnam nempe trium, quatuor vel quinque drachmarum in die, si alvi fluxus id non prohibet. Id dixit postquam multos annos eo cum maximo successu, ut ait, usus fuerat, in asthmate humorali, in primo gradu phthyseos, in ictero, hydrope &c.

DE KINKINA.

Succedanea quæ hic numerosissima a numerosis Auctoribus assignantur, cuncta periculis scrutari et ad longum latumque enodare mihi impossibile fuit, idque tædiosum ac inutile duxi. Quocirca præcipua modo, aut saltem mihi ejusmodi visa, quæ experimentis non paucis subjecimus, hic aliqualiter late, juxta ordinem efficacitatis compertæ, pertractare conabor. Reliqua brevibus tangam et ordine alphabetico disponam. Itaque

---

(*r*) Ibid. p. 35.

KINKINÆ sive *Cinchonæ officinali. LINN.*

SUBSTITUITUR:

1° ARSENICUM *album* sive *crystallinum.*

A seculis jam *Myrepso* auctore contra febres intermittentes adhibitum fuit, dein laudatum a *Slevogt*, a *Molitor*, a *Jacobi*, *J. C. Bernhardt*, *Jungken* et *Fowler*, quos citat *Hahneman* (*s*), quibusque addere possum vicenos et ultra alios, ut in decursu patebit.

Hujus usui interno se opposuerunt tamen plurimi viri docti et prudentes, *Stahl* (*t*), *Juncker* (*v*), *Gholius* (*u*), *Rieger* (*w*), et plures alii quorum auctoritatem allegat D. *Thibault* (*x*).

At videntur mihi sane doctissimi adversarii ad ideam terribilis hujus veneni horruisse, et ab incunabulis contra illud animum præoccupatum gerentes, magis timore quam ratione ducti Arsenicum damnavisse; saltem experimenta faventium infinito numerosiora sunt, et facile vehementissimus amplissimusque horum torrens opposita quævis abripit, attenuat, obscurat, delet; quod mihi jam demonstrare incumbit.

Imprimis argumenta quæ spectatissimi hi viri objiciunt magis imprudentes medicastros quam ipsum medicamen feriunt; vel plures in genere pravos ejusdem effectus congerunt, quos vix unus seipsum vidisse affirmat. Sic nigerrimo carbone id notat Celeberr. *Rie-*

(*s*) Vid. HUFELAND, Journ. der practischen Heilkunde. Band XXVI, St. II, p. 11.

(*t*) Observ. clin. Lipsiæ, 1719. Toto mense V.

(*v*) Conspect. med. theoretico-pract. Halæ, 1718. Tab. 79; et Conspect. chem. Halæ, 1730. Tab. 48.

(*u*) Act. med. Berolin. Decad. I, vol. III, p. 90 seq.

(*w*) Introduct. ad notit. rer. natur. et arte fact. Hagæ Com. T. I, Part. II, p. 915.

(*x*) *Journ. génér. de méd. T. XXXI, p.* 3 *seq.*; Vide etiam GMELIN, Apparat. medicam. &c. regnum min. complectus. Lovanii, 1798. T. I, pag. 179.

ger aiens *(y)*: " Idem remedium contra febres intermittentes haud ita diu adhuc frequentabatur inter subditos imperio Ruthenico plebeios homines; sed cum infausto eventu, qui enim, robusti admodum, vincebant, post magnas anxietates, lethiferam veneni virtutem, incidebant in viscerum abdominalium indurationes scirrhosas et tubercula in pulmonibus ". Hæc in vago asserit, nullo experimento probat. Similia extant apud plurimos Auctores.

Absit tamen ut substitutum hoc omni vitio absolutum jactemus, quæ de his vera mox fatebimur.

Wichmann hæc habet *(z)*: ,, abhorremus insecura, et præcipue verum illud venenum Arsenicum: quod haud immerito reprobant viri celeberrimi, *Stahlius*, *Junckerus*, *Gohlius*.

Wepferus hæc *(a)*: " Arsenicum male audit apud metallurgos et alchymistas, est ipsis fulgur, prædo et metallorum sterquilinium: detestantur illud plurimi medici et chirurgi dogmatici, adeo ut facile illo pharmacopolia carere possent: exstat quidem decoctum quoddam *Arsenicale febrifugum* præsentissimum, cujus descriptione ab Exc. DD. *Joh. Rudolfo Burckhardo prof. Med. Basil.* celeberrimo obtinui, de quo multa quoque ab Exc. DD. *Francisco Reinardo phys. et senatore solodurensi* accepi: at nollem illam publici juris fieri, ne imperitis aut temerariis nocendi ansam darem, eoque magis cum tot febrifuga tutiora et efficaciora habeantur ". Hoc non probat, illud juste metuit. Metuit idem et cel. *Desgranges*, quod patet ubi dicit *(b)*: *S'il est permis.... de se livrer à des essais et de s'enhardir à user des substances vénéneuses, on conviendra qu'on*

(y) Loco cit.
(z) Vid. WERLHOFII, Op. med. Hannoveræ, 1775. P. I, p. 85 in Nota.
(a) Hist. Cicut. aquat. Lugduni Bat., 1733. p. 367.
(b) *Journ. génér. de la méd. T. XXX, p. 3 seq.*

est tenu pour lors à des précautions sans nombre et à mettre dans cette sorte de prescriptions une prudence et un discernement que le commun de praticiens n'est pas en état d'y apporter. Sic cum D. *Bry (c)* concludere possumus : *Il seroit donc plus juste de s'en prendre à la manière dont elles sont administrées qu'à leur nature même.* Sic mercurii subl. coros., cicutæ et omnium venenorum, imo et omnium medicaminum energicorum insignis et ominosissimus abusus fieri posset, non ideo tamen exilio multanda. *Entre les mains des guerisseurs ignorans les meilleurs remèdes deviennent ou inutiles ou dangereux* ut bene censet *Barrière (d).* In prudentis medici manu nullum remedium, in imprudentis vero manu etiam levissimum, audaciam redolet; ut fantur remedii hujus fautores; et ut D. *Le Febure* loquitur *(e).* Quamvis sit ensis in manu furiosi, dum ab ignorante administratur, equidem veritatis amantes fateri debent, quod remedium nostrum sæpe juvat. Deinde lege severissima prohiberi posset, quominus quis alius quam medicus, aut sub medici directione, Arsenicum pro usu interno administret.

Fatemur, uti superius dixi, Arsenici usum sua nonnumquam habere incommoda. D. *Withering* ex triginta tribus ægris quos hoc remedio percuravit, tres cardialgia, anorexia et faciei turgescentia laborârunt. Omnes tres solutione salis tartari sanitati restituit. I.[ll] *Störck* exhibuit decoctum D. *J. C. Jacobi* mox describendum, homini adulto, debita dosi. " Febris sistebatur infit *(f)*,
,, verum postea ardorem continuum in sterno, et tus-
,, siculam siccam, defatigantem, conquestus est æger,
,, appetitum penitus amisit, sitivit multum, secesserunt
,, vires et carnes, demum capilli defluxerunt, et super-

(c) *Journ. génér. T. XXXIII, p. 4. seq.*

(d) *Journ. de méd. T. XLVIII, p.* 548.

(e) *Remède éprouvé pour guérir radicalement le cancre.... approuvé par M.* POISSONNIER. *Paris*, 1776.

(f) Ann. med. primo. Lugduni B., 1764. p. 56 seq.

„ venit febris hectica. — Remediis emollientissimis, „ oleosis, et cura lactea, intra duos menses integre restitutus est."

" Idem remedium denuo paravit sed Arsenici quantitatem $\frac{1}{8}$ diminuit, et iterum adulto idem dosi auctori ordinaria dedit.

" Febris inde non est suppressa, sed paroxysmi fuerunt paulo mitiores. Æger autem in sterno ardorem percepit, amisit appetitum et tussicula sicca laboravit..... decoctis et lacte corpus ægri implevi; quo facto, mala symptomata brevi evanuerunt, et æger convaluit".

Hæc quandoque sed raro, fortuito accidunt, velut in decursu patescet. Emollientibus, oleis et lacticiniis his incommodis occurere et mederi feliciter possumus, ut proprio nos exemplo docuit *Orvietus*, qui postquam coram numerosissima turba, ut arcanum suum remedium caro venderet, poto prius clanculùm oleo, sæpius devoravit Arsenicum absque damno subsequenti *(g)*. Sed tandem sumpta semel nimia dosi audaciæ pœnas luit.

Fatemur ulterius aliquando ad remedii usum ructus, singultus, nauseas, imo vomitus, cardialgicos et colicos dolores, anxietatem, dysenteriam se prodere; sed hæc sine ullo exitu periculoso fieri observamus et laudano liquido aut arceantur aut percurantur: insuper hæc plerumque dosim febrifugi justo largiorem in causam habent *(h)*.

Visa quoque fuit paralysis extremitatum inferiorum, visus et hydrops. Sed hæc cavemus si remedium non detur omnino debilibus et sedentariis *(i)*. Ut nihil celemus, mors ipsa secuta est, dum ab agyrta exhibebatur *(k)*,

---

(g) CAELS, Ratio occurrendi morbis a mineralium abusu produci solitis. Amstelodami, 1781. p. 75.

(h) *Journ. de méd., traduit de l'anglais par* MASUYER, *médecin à Dijon, an.* 1786. *p.* 159 *seq.*

(i) Sammlung auserlesener Abhandl. practisch. Aertze. II B. IV St. p. 173.

(k) DONALD MONRO, *A treatise on medical and pharmaceutical chymistry &c. London,* 1788. *p.* 548.

in febre intermittente. Non notat Auctor circumstantias ullas.

Non admodum raro corporis præsertim faciei intumescentia supervenit, quæ nullas graves sequelas habet, sed cujus sanatio ope croci martis aperitivi accelerari videtur *(l)*. Nos levibus eccoproticis eam brevi cedere experimur.

Sunt qui his œconomiæ turbis febrifugam Arsenici vim adscribendam putant. Iis non prorsus accedimus, cum creberrime sine illis febres feliciter abiguntur, quamvis non ignoremus id ebrietatis aut aliorum corporis aut animi perturbationum occasione quandoque successisse (*m*). Id aliquando fieri posse probavit mihi anno 1807 sequens casus: tertia Septembris rogabar ut postridie invisissem uxorem D.ni *Quirini* tum a pluribus mensibus quartana laborantem. Accedenti mihi narrabat ægra, se pridie ex esu concharum intoxicatam fuisse, et plurimum vomuisse plurimosque habuisse secessus. Prædicebam ipsi, forsan turbas istas fore salutares et earum effectum expectandum esse, absque ulteriori artis molimine. Revera hocce supervacaneum fuisset; febris namque deinceps non amplius apparuit.

Cel. *Desault (n)* "ut in suis lectionibus quandoque narrabat" pertinaci quartana laborans, summopere avebat de artocreate leporino manducare; furtim seu insciis circumstantibus desiderio suo laute satisfaciebat, instante jam paroxysmo: sed vix hoc edulium ingesserat, quin insultus ingrueret. *Dessault* terribiles primarum viarum turbas patiebatur; at pro salute sua: nam febris non amplius rediit, et brevi Illust. æger optima fruebatur sanitate.

Volunt alii Arsenicum certa præparatione aut certa additione naturam suam perniciosam nonnihil exuere at-

---

(*l*) *Journ. génér. de méd.*, *T. XXIII*, *p.* 283.
(*m*) Ephem. Acad. N. C. Decad. I. Ann. 2 s 1671. Obf. CL.
(*n*) *Annal. de la Soc. de méd. pract. de Montpellier. T. VIII, p.* 48 *seq.*

que roborandi induere virtutem: ita *G. W. Wedelius* opinatus est; ait enim (*o*): " Arsenicum ad leges temperamenti humani redactum ac mitigatum, ad roboranda facere vincula vitalia, secus ac agere ordinarie soleat ".

Hoc reipsa aliquatenus fieri, videbimus in remedio DD. *Plenciz* cujus portio Arsenici alioquin enormis videretur. In universum ait *Desgranges*, videtur Arsenicum agere vi sedativa et tonica.

Utut Arsenicum operetur, parum nostra refert; modo probemus id tuto, sat certe, sat cito febres tollere.

Variis omnino modis sive formulis a variis practicis Arsenicum præscriptum legitur: alii formam liquidam, alii siccam adoptaverunt: inter hos computare licet:

1° Medicos Gandavenses qui sub finem seculi 17.^mi sequentes adhibebant formulas:

℞. *Arsenic. alb.* q. v.
Sublimetur S. A.
Tum
℞. *Arsenic. sublim.* unc. ij.
Nitr. puriss. unc. iv.

M. et in crucibulo s. a. calcina per 5 vel 6 horas. Materiam refrigeratam et e crucibulo exemtam solve et lava in aq. pluviali. Lotio repetatur donec Arsenicum omni sale orbatum sit. Tandem siccatum usui servetur.

Dosis erat gr. ij. ante paroxysmum.

Prostabat illic id temporis adhuc aliud febrifugum ex anaticis partibus Arsenici fixi et silicum præparatorum simul calcinatis, quibus in loco humido liquefactis addebatur spiritus vitrioli. Pulvis qui præcipitabatur lavatus, dulcificatus et siccatus,

Exhibebatur ad gr. iv. ante paroxysmum.

(*o*) Amœnit. mat. med. Jenæ, 1634. p. 317.

Hæc habeo sub titulo febrifugorum, ex antiquissimo manuscripto zelosi dictæ urbis pharmacopœi, exeunte ævo 17.mo viventis. Nil fatur de efficacia aut effectibus.

2° D.nos *Plenciz* patrem et filium, qui hoc utebantur composito:

℞. *Arsenici alb.*
Myrrh. elect.
Terr. sigill. rubr.
Piper. long. ã drach ij.
Flor. sulph. unc. sem.
Bezoar. min. drach. j.

M. F. pulvis subtilissimus, cujus dosis vj. ad viij. grana, danda unâ alterave horâ ante febris accessionem ex infuso Sambuci vel Camomillæ &c.

Asserit *Plenciz* uterque, nullum unquam funestum symptoma ex suis pulveribus oriri, ubi alii qui sub alia forma Arsenicum administrant contrarium experiuntur et profitentur; ut *Trnka (p)*, *Störk (q)* &c.

3° D.num *Desgranges*, sequentes concinnabat pulveres:

℞. *Pulv. diatragacant. frig.*
Extract. liquir. ã drach. j. et sem.
Pulv. sem. anis. drach. j.
Arsenic. alb. gr. ij.
M. exacte.

Dosis inferius patescet.

Præcipuæ compositiones Arsenicales sub forma liquidâ sunt sequentium Auctorum:

(p) Hist. febrium interm. T. I, p. 397.
(q) Ann. med. 1761. p. 56.

1° *J. C. Jacobi* (r) decoctum hoc:

℞. *Arsen.* part. 1.
Aq. cõis. part. 168.
Sal. Tart. part. 12.
Coq. ad remanentiam medietatis.

Post refrigerationem iterum adde eamdem quantitatem aquæ ac per decoctionem evaporata fuit, una et paucum spiritûs vini.

Dosis pro adultis 30 gutt., pro pueris vero 6, 8, 10 ad 16 gutt. pro varia eorum ætate.

2° *Willan* et *Fowler* (s) qui dant hanc solutionem:

℞. *Arsen. alb. in pulv. tenuissim. triti.*
Sal. alcal. veget. fixi, purificat. ā gr. LXIV.
Aq. font. lib. dimidiam.

Immittantur in ampullam florentinam, qua in balneo arenæ posita, aqua lente ebulliat, donec Arsenicum perfecte solutum fuerit, deinde solutioni frigidæ adde
Spir. Lavendulæ compositi unciam dimidiam
Aqua font. distill. libram dimid. plus minus, adeo ut solutionis mensura libra una accurata sit, vel potius pondere unciæ quindecim cum dimidia.

Dosis 12 gutt. pro adultis, 2, 3 vel 5 gutt. pro pueris 2, 3 vel 4 annorum, bis in die, quinque continenter diebus; post quod tempus si paroxysmi siluerint, quod passim fit, supersedet auctor tres dies ulteriore exhibitione; his elapsis, tres alios dies guttarum usum continuari jubet, recidivæ cavendæ gratia.

3° Doctoris *G. Pearson.* Est hæc formula quam D. *Valentin* publico communicavit:

(r) Act. Acad. Elector. Moguntinæ. T. I. Erford, 1757.
(s) DUNCAN, *Medical Commentaries. Decad. II, vol. I, p.* 114.

℞. *Arseniat. sodæ* gr. xvj.
Aq. distillat lib. j.
M.

Dosis a drachma una ad duas, quæ dantur partitis vicibus interdiu, cum aqua vel alio vehiculo. Drachma libræ Anglicæ duodecim unciarum, est 60 granorum.

Prostat remedium hoc sub nomine *Aquæ natri arseniati.*

Arsenias sodæ ita componitur:

℞. *Acidi arseniosi* unc. ij.
Aq. bullientis lib. j.

Adde *Natri ppt.* q. s. ad saturat. acidi, dein f. evaporatio donec formentur crystalli.

Acidum arseniosum ita paratur:

℞. *Arsen. alb.* unc. ij.
Acidi nitro-muriatici q. s.

F. ebullitio p. moment. ut solvatur Arsenicum: dein f. distillatio ad consumptionem omnis liquidi; tandem immitte in vas apertum residuum ut liquefiat, et decantetur liquor.

Aqua natri arseniati Solutione Fowleriana minus violenta est, et certioris effectûs dicitur. *Pearson* ex pluribus jam annis eam ceu unicum suum febrifugum administrat, et nullum inde pullulare vidit symptoma sinistrum.

Procedamus nunc ad Arsenici in medicina usum.

Passim in Siberia Arsenicum adhiberi contra febres intermittentes legitur in *Gmelins Reisen* (*t*); Arsenicum constituebat famosum specificum antifebrile Berolinense, de quo *Neuman* in sua chymia; constituebat et

(*t*) I. B. S. 459.

elixirium febrifugum minerale in Gallia anno 1800 non parum venditatum. Ut ad specialia descendamus: *Melchior Friccius* (*v*) usum ejus, præcipue febrifugum tuetur, et aliquot se drachmas jam medendo consumpsisse profitetur. Adjicit quoque hæc verba: "experientia nos docebit Arsenicum in febribus intermittentibus adhibitum, omnes eas dotes possidere quibus optima remedia prædita esse debent (*u*)." *Slevogt* dicit, se illud in ejusmodi febribus quinquagesies præscripsisse (*w*). *Fowler* asserit ex 240 ægris quibus remedium suum præbuit, 171 fuisse perfecte sanatos; 45 ex illis ope Chinchinæ convaluisse, reliquos vero 24 sua culpa fuisse minus felices. D. *Leicester* octuaginta ægris in variis febribus intermittentibus illud præscripsit, et raro se spe frustratum vidit. D. *Withering* triginta tres febricitantes ejus auxilio sanavit, et asserere non dubitat, Arsenicum semper triumphaturum ubi ob extremam debilitatem, magnam ventriculi irritabilitatem &c. sufficientes Kinæ kinæ doses exhiberi nequeunt, velut in febribus quotidianis cum paroxysmis protractis. D. *Fréer* Chirurgus Birmingamensis remedium hoc plusquam mille ægris præscripsit sine ullo pernicioso effectu; Sed hi tres posteriores Practici dosi Fowlerianâ longe minore utuntur. Medicus Comitatûs Dorsetiæ cum numerosos ægrotos Arsenico curavisset, dixit, remedium hoc raro non brevi paroxysmos inhibere, sed febrem in recidivam pronam esse; quæ ipsa recidiva tamen eodem remedio rursus facile dissipatur. D. *Kluyskens* solutione *Fowleri* paucis diebus hortulanum persanavit a febre intermittente, obstructionibus et hydrope complicata, cujus paroxysmi usu Kinæ non fuerant integre suppressi (*x*). *Robertus Willan* Medicus nosocomii Fins-

---

(*v*) Tract. de virtute venenor. med. Ulmæ, 1693. Cap. II.
(*u*) Ibid. p. 56.
(*w*) Propeuticon inaugurale de permissione prohibitorum &c. Jenæ, 1719.
(*x*) *Annales de littérature méd. étrang. T. VII, p.* 375 *seq.*

bury Londinensis dissolutionem Fowlerianam in quinquagenis fere febre intermittente laborantibus variæ ætatis, verno tempore 1806 tentamento subjecit, idque constanti cum successu. Testatur Auctor Dominos *Bell* Chirurgum et Doctores *Marsch* ac *Pearson* qui rei conscii fuêre. Finit D. *Willan* asseverando, se non novisse remedium antifebrile dissolutione arsenicali certius, modo prudenter administretur, neque aliud existere quo medentis scopus suavius et efficacius obtineatur". Exhibuit illud subjectis diversæ ætatis, pueris 5 annorum et senioribus, etiam ætatis 72 annorum, dosibus semper proportionatis; id absque doloribus aut torminibus ullis.

Inter ægrotos D.ni *Willan* notare lubet *Carolum Deves*, ætatis 12 annorum, macilentum et delicatulum, qui mense Aprili 1787 febre quotidiana regulari cum dispositione ad infarctus abdominales torquebatur qui nihilominus hocce præsidio felicissime ac promptissime convaluit *(y)*.

Cel. *Fodéré* pericula fecit cum aqua natri arseniati *Pearsoni* sive dissolutione Arseniatis sodæ (z), et dein Societati Med. Massiliensi retulit, se ejus ope perfecte sanavisse 15 personas febribus intermittentibus autumnalibus affectas, absque ulla prava sequela. Dux Eboracensis hac aquâ febre intermittente liberatus est, quæ optimæ Chinchinæ vires illuserat; quod Medicis Londinensibus pernotum.

Dicitur idem Celebris Doctor eodem successu sanavisse plures centenos febribus intermittentibus omnigenis afflictos sive dictâ aquâ, sive pilulis *Bartoni*; et semel tantum hæc mala sequela inde resultavit: scilicet: cùm æger sumpsisset novem ex his pilulis, ubi medicus tantum tres pilulas, tribus dosibus sumendas, consuluerat,

---

(y) MASUYER, L. c. An. 1787. p. 152 seq.
(z) *Annales de la Soc. de méd. prat. de Montpellier. Tom. VIII, p. 57 seq.*

febris sufflaminata fuit, sed fluxus dysentericus superveniebat, qui dies octo perduravit. D. Professor *Barton* inter numerosissimos successus, ter modo observavit post usum remedii supervenisse faciei inturgescentiam sed quæ dissipabatur.

Robert Jackson, Medicus Dominicotalensis solutionem arsenicalem majori cum fructu administravit quam corticem Peruvianum in febribus typi certi, et in insidiosis malignis quæ in istis regionibus inter copias Anglicas grassabantur annis 1794, 1795, &c. *David Macliesch* eodem remedio utebatur sine ulla mala sequela, contra febres quæ annis 1795 et 1796 Corsicam vexabant. Eodem auxilio multas sanavit tertianas quæ cortici et aliis remediis non obedierant.

Ambo *Plenciz*, pater et filius, asserunt, febres raro ad tertiam remedii sui dosim observari rebelles, et vel rebellissimam secundum sua observata semper cedere ad summum tribus dosibus. *Plenciz* (pater) præscripsit plus 40 annornm spatio Arsenicum in substantia adversus febres intermittentes tertianas et quartanas, nullo subsequente gravi symptomate. *Plenciz* (filius) Professor Viennensis, se optimos ejus effectus vidisse affirmat, præsertim anno 1780 in febribus autumnalibus, quas omnes tum tertianas tum quartanas, etiam in hiemem protractas, sine corticis Peruviani adminiculo sanavit; sic sumptibus nosocomii se plurimum pepercisse refert. Dicit pulveres suos nunc alvi fluxu, nunc vomitu, nunc diuresi, nunc diaphoresi operari, at semper sine ullo incommodo, si intumescentiam faciei exceperis, quæ facile cedit. Sat mirum videtur tantam dosim Arsenici quantam præstantissimi hi viri præbent, non excitare majores œconomiæ turbas. Experientia nosmet ipsos hac super re securos reddidit, ùt in decursu patebit : ubi autem experientia loquitur, taceat theoria cedatque diffidentia.

Celebris et Eruditus *Desgranges (a)* quem hic in

(a) *Journ. génér de la méd. T. XXX, p. 263 seq.*

multis tantum latinitate donavi, et cujus citationes brevitatis ergo omisi, narrat se sanitati reddidisse miserum exulem ætatis 29 annorum, a 5 mensibus tertiana laborantem cum leucophlegmatia, inappetentia, languore et infarctu viscerum abdominalium, quæ interitum minabantur, dando grana octo pulveris antipyretici supra dicti p. 79, n° 3. Superbibi jubebat aliquot vascula *infusi Hyperici*. Accessio sequens levissima erat. Insistebat medicus quotidie mane et sero exhibendo pulverem. Ita valetudo prompte sequebatur: 10 vel 12 pulveres totam rem absolverunt, quamvis intra 5 vel 6 dies nondum integrum granum Arsenici absumptum esset. Amara indigena curam complebant.

Quæ superveniebat intumescentia, largiori urinæ fluxu mox disparebat. Post triennium D. *Desgranges* ægrum optime valentem revidit."

Ast num dosis hic justo parcior fuit? Experiendum.

Medicus qui nomen suum celatum cupiebat, scribebat D.no *Lardot* (*b*), se lectis 24 observationibus D ni *Brera* et Doctoris *Mitjavila*, horumque successibus animatum, consultum duxisse in usum trahere idem remedium, nempe Arseniatem potassæ; quam ita componebat:

℞. *Oxid. alb. Arsenici* drach. sem.
Potassæ . . . . . . drach. sem.
Separatim dissolv. *Arsen.* in aq. distill. unc. vj. et *Potassa* in aq. cōm. unc. ij.
M. duos liquores, diger. aliquamdiu in *B. M.* et filtra.

Dabat hujus liquoris quatuor, sex, octo guttas cum unciis quatuor aquæ, omni quadrihorio, habita ratione sensibilitatis ægrotorum. "Jam pridem addit, desii in tabellas redigere nomina ægrorum quos hac methodo

(*b*) *Journ. génér. de méd. T. XXIII, p.* 281 *seq.*

tractavi, fere semper faustissimum obtinui eventum, sic ut jam non amplius procedam cum probabilitate, sed cum specie certitudinis..... Cæterum duo medici ex amicis meis, quos ad experiendum induxi, eumdem nacti sunt successum.

In tertianis dato remedio tempore apyrexiæ, sequens paroxysmus semper minor erat, alter vero deficiebat. In quotidianis adhuc duæ tresve accessiones decrescendo se exhibebant, dein febris desinebat. Unica quartana quam hoc modo tractavi, eamdem offerebat resistentiam ".

Fatetur hic medicus aliquas se vidisse recidivas, sed has eodem remedio absque incommodo debellavisse, et prædictos *Brera* et *Mitjavila* nullas observavisse.

Interpres quoque Germanus D.ni *Lefebure (c)* efficaciam ejus in fugandis recidivis se expertum asserit, ubi ait: " Ego ipse novi plura exempla in quibus non obstante cortice, etiam a peritis medicis administrato, febris continuo revertebatur, et ubi a medicastro ope Arsenici feliciter percurabatur. Hoc apud homines robustos et corpus multum exercentes fiebat, sed debiles et sedentarii inde hydropici evadebant ".

Tandem adhuc D. *A. Bry (d)* has duas in Arsenici favorem observationes suppeditat:

1.ma Michel C.***, textor, ætatis 56 annorum, sub autumno 1804 prehenditur febre tertiana, quæ non obstantibus pluribus remediis pertinaciter eodem vigore pergit usque ad finem Augusti 1805. Tum D. *Bry* ipsum primum vidit et invenit fere totum corpus œdematosum, cutim rudem et aridam, pulsum parvum, urinæ excretionem parcam et difficilem, saburram gastricam. Paroxysmi erant vehementes diuturnique et subsequens eos debilitas insignis.

(c) Sammlung auserl. Abhandlungen. II B. 3 st., s. 173. not.
(d) *Journ. génér. de méd. T. XXXIII, p. 9 seqq.*

Mundatis primis viis corporeque prius disposito, exhibebat D. *Bry* remedii p. 85 dicti guttas quatuor in vasculo infusi florum tiliæ, quæ dosis porrigebatur ter die apyrexiæ, et bis die paroxysmi immediate ante et post eum, idque 4 primis diebus observabatur. Secundus a sumpto remedio insultus sensibiliter minor erat præcedentibus, præsertim quoad frigus febrile. Tum augebatur dosis guttis duabus pro singulo vasculo infusi. Hac ratione intra 48 horas sumpserat æger guttas triginta. Tertius accessus, qui scilicet coincidebat cum sexto curæ die, vix erat perceptibilis. Tamen adhuc 4 dies eodem remedio insistebatur. Ita ægrotus perfectam sanitatem recuperavit sine recidiva. D. *Bry* qui illum subinde obvium habet, valetudinem ejus perfectam perhibet, excepto levi cruris ulcere, quod a remedio arsenicali non videtur productum.

2.da M. B.... strophiorum fabricator, debilis constitutionis, veniebat consultum D. *Bry* ineunte Octobri anni 1805, super febre intermittente quæ primum fuerat tertiana regularis, jam autem a 5 mensibus in quartanam evaserat. Nullis remediis, ne vel ipsi Kinæ parsum fuerat. Æger nunc valde debilis, languidus, appetitu carens, nec tamen ulla saburræ signa edens, consulente D. *Bry* sumpsit guttas tres liquoris arsenicalis in pauco infusi melissæ, ter indies, horis medicis, semper observando ut una dosis ante et una post accessionem exhiberetur. Vix drachma et dimidia consumpta erat, quin paroxysmi notabiliter minores essent. Tunc singulæ dosi addebantur duæ guttæ plus, ita ut æger caperet 15 guttas nycthemeri spatio. Febris tunc perfecte desiit; sed post duos menses reversa est; quod Auctor adscribebat parvæ quantitati remedii et parvo tempori quo sumptum fuerat. Hac via febris minor observabatur priore et fatiscendo procedebat usque ad verem proximum, ubi quasi sponte extincta fuit.

Homo hic ait D. *Bry*, sæpe me venit invisum et

nunquam queritur de ullo incommodo quod Arsenici, in ejus organismo adhuc hærentis, præsentiam angueret.

Experimenta apud nos instituta sequentia sunt:

Ubi res non successit: mihi singulare.

Miles 22 circiter annorum, temperamenti sanguinei, debilissimus et ad phthysim dispositus, jam ab anno fere laborans febre intermittente, quæ diverso tempore diversos induerat typos et nunc tertianarum ritu decurrebat, omnigena febrifuga, ipsum etiam corticem Peruvianum incassum sumpserat. Tandem in animum mihi venit Arsenicale febrifugum Fowlerianum experiri. Hoc ab Amico, Doctore *Bruggeman*, qui pluries illud fauste adhibuerat, accepi et pharmacopœis nosodochii civico-militaris tradidi, ipsos instruens de administrandi methodo qua *Fowler* et amicus *B.* uti solebant, rogansque ut administrationi ejus seduli invigilarent. At res non successit: tanta sequebatur post singulam dosim ægritudo, tanta ventriculi et intestinorum turba, ut æger intoxicatus videretur. Itaque non ausus hanc curam prosequi, relicta in eodem statu febre, ab hoc remedio abstinuimus.

Sed ad quid plura? Inspiciamus modo sequentes Observationes quas spectatissimus Medicus *Bruggeman* mihi communicavit, et videbimus Arsenicum plane nudum, videbimus illud sine fuco veris suis depictum coloribus. Orditus est vir ille experimenta sua vernali tempore anni 1804, quum cortex Peruvianus prætio increscere cœpit. Sunt autem hæc:

1804.
MENSE APRILI.

OBSERVATIO PRIMA.

Angelus Buysse, juvenis 17 annor., fortis, et temperamenti biliosi, ab aliquibus diebus tertianâ febre laborans, adhibet in vanum per 16 dies evacuantia et

resolventia. 24ta Aprilis 1804. Exhibetur *Solutionis min. Fowleri* drach. j., ut æger ter indies, qualibet 8va hora sumeret xx. gutt. — 27ma repetitur *Solutio.* — 29na nulla febris, et manet æger perfecte sanus.

OBSERVATIO II.

Livinus Legiest, æt. 24 ann., homo robustus, temperamenti sanguinei, tertiana correptus, præmissis præmittendis, 26 Aprilis Solutionem mineralem solito more sumere cœpit. 30ma paroxysmi plurimum imminuti erant. — Tertia Maii febris remansit; sed levis intumescentia potissimum faciei se offerebat, ob quam decoctum laxativum dabatur. — 5ta Maii integra sanitas.

OBSERVATIO III.

Georgius Wittevrongel, æt. 48 ann., macilentus, temperamenti cholerici, febre tertiana laborans, ita curatur: Datis per aliquot dies resolventibus et febre persistente, 26ta Aprilis exhibetur *Solutionis mineralis* uncia una, sumenda ùt ante, in casu *Angeli Buysse*, nempe 8va qq. hora. — (Horæ autem hæ eligi solebant 6ta matituna, 2da pomeridiana, 10ma vespertina, vix ullo habito respectu ad paroxysmum) — 28va repetebatur *Solutio min.* — 2da Maii remanebat febris; sed nunc levis intumescentia corporis. Datur decoctum laxans, ut alvus aliquoties solvatur. — 6ta disparuit intumescentia, sed appetitus nullus: datur stomachicum sc. infusum vinosum ex lign. quass. et cort. aurant., subinde in die sumendum. — 9na sanitas integra.

MENSE MAJO.

OBSERVATIO IV.

Infanti *Joannis Timmerman*, æt. 3 ann., a 4 hebdomadibus tertiana laboranti, 28va Maii dabatur *Solut.*

Arsenicalis drach. sem., ut sumeret bis indies guttas quinque ex pauco aquæ. — 3tia Juny remanebat febris et infans plene convaluit.

OBSERVATIO V.

Barbara de Martelaere, 44 ann., macilenta, sed fortis et biliosæ constitutionis, aliquot modo febris tertianæ paroxysmos passa erat 5ta Maii. Præscribitur: ℞. *Solut. min.* unc. sem. in phiala. Sumatur ut solet. — 7ma aliqua tormina ventris: ℞. *Extr. Op. Homberg.* gr. iv. f. pill. viij. — 8va persistente febre repetatur *Solutio.* — 9na levis intumescentia corporis: ℞. *Decoct. laxans.* — 10ma nullus jam inde paroxysmus; sed hoc die sitis, nauseaque vexant et pulsus naturali frequentior observatur; ℞. *Sal. absynth.* drach. sem. *Aceti vin.* unc. j. et semis *Syr. e succo citri*, *altheæ* ā unc. j. *Aq. menth.* unc. iv. m. Detur cochleatim. — 12ma ægra perfecte convaluit.

OBSERVATIO VI.

In casu filii *Hemelzoet*, æt. 15 ann., tertiana correpti: 7ma Maii ℞ *Solut. min.* drach. vj, ut inde quaque 8va hora sumat guttas xij. — 8va propter tormina aliqua abdominis ℞. *Extr. Homberg.* gr. iij. F. pill. vj. Sumatur omni quadrihorio una donec tormina cessent. — 9na ℞. *Solut. min.* unc. sem. — 12ma integra sanitas.

OBSERVATIO VII.

Franciscus van Hamme, æt. 30 ann., tertianæ cortice sublatæ recidivam patienti præscribitur 8va Maii *Solut. min.* unc. sem. modo ordinario sumenda. — 10ma adhuc pergente febre repetitur *Solut. min.* — 11ma desiit febris, sed ejus loco nunc nausea, præcordiorum

anxietas, pulsus celer. : ℞. *Mixturam salinam*, ut Observ. V^{ta} -- 12ma iisdem symptomatibus pergentibus repetitur *mixtura salina.* -- 22da novam subit febris recidivam : ℞. *Solut. min.* unc. sem. -- 26ta febricula vix perceptibilis, quæ sensim perfecte remansit.

OBSERVATIO VIII.

Pro *J. B. van Hulle*, 22 ann., jam ab autumno anni 1803 quartanâ vexato, 5ta Maii ℞. *Solut. min.* unc. j. Dentur gutt. xx. ter in die. -- 7ma ob tussim molestam et aliqua ventris tormina ℞. *Pulv. rad. irid. florent.*, *liquir.*, *alth.*, *herb. heder. terr.*, ā drach. ij. *Syr. de mecon.* q. s. f. condit. -- 8va Maii nondum remanente febre, ℞. *Solut. min.* unc. sem. Hujus usui interponebatur omni sexta hora pilula ex semigrano *Extracti Hombergii.* -- 9na febris paroxysmis cessantibus, levis corporis intumescentia: ℞. *Decoct. laxativum.* -- 24ta rediit febris : ℞. *Decoc. laxat.* -- 27ma ℞. *Solut. min.* unc. semis. -- 4ta Junii repetatur *Solutio m.*.. Iterum desiit febris, sed post aliquot septimanas denuo reversa non obediebat amplius remedio nostro.

OBSERVATIO IX.

Pro *Joanne Rottier*, 32 ann., viro robusto, temperamenti biliosi, ab octiduo febre tertiana correpto, 15ta Maii ℞. *Solut. min.* unc. sem. -- 17ma propter levem pectoris affectionem præscribebatur mixtura pectoralis. -- 19na desiit febris. -- 14ta Junii febris recidiva : dantur eccoprotica. Alter paroxysmus supervenit : datur *Solut. min.* unc. sem., et febris sine ulteriori recidiva remanet.

OBSERVATIO X.

Macharius Casteels, æt. 17 ann., teneræ et sangui-

neæ constitutionis. Præmissis præmittendis 27ma ejusdem mensis ℞. *Solut. min.* unc. j., ut inde quotidie omni 3.va hora guttas xij. assumat. — 1ma Junii febre perseverante, ℞. *Solut. min.* unc. sem. — 6ta dereliquit eum febris, sed propter levem corporis intumescentiam ℞. *Decoct. laxativ.* unc. iv. &c. Posthac ad recidivam præcavendam ℞. adhuc *Solut. min.* unc. semis. — Hoc non obstante febris aliquo post tempore reversa est, quæ quamquam sibi relicta et tandem sponte cessans, post se reliquit tussim, unde æger phthisicus factus anno subsequente obiit.

MENSE JUNIO

OBSERVATIO XI.

Francisco van Damme, æt. 35 annor., temperamenti biliosi, aliquot tertianæ paroxysmos perpesso, et proprio consilio bis terve purgato, 28va Junii præscribitur *Solut. min.* drach. sem., ut dentur gutta xx. octava quaque hora de die. — 30ma adhuc persistente febre, repetitur *Solut. min.* ad eamdem dosin danda. — 2da Julii utut febre plurimum imminuta, ℞. *Solut. min.* drach. sem. — 3^tia^ ventris tormina cum incipiente faciei intumescentia, remanente febre: ℞. *Decoct. laxativ.* — 4ta pulsus naturali frequentior, cum siti et ventriculo nauseabundo: ℞. *Mixt. salin.* Obs. V^tæ^ — 5ta ad recidivam præcavendam ℞. *Solut. min.* unc. sem. bis in die gutt. xij. per biduum

Nihilominus febre recidivante 14.ta, ℞. *Decoct. laxativum.* — 15ta ℞. *Solut. min.* unc. sem., sumantur ter in die gutt. xx. Indesinenter usu *Solutionis min.* usque ad 21.^mam^ hujusce mensis perseveravit ægrotus, et 28va illam adhuc semel repetivit. — 1ma Augusti: linguæ siccitas, pulsus centies in minuto micans: ℞. *Pulv. temperantis* drach. ij. *Aq. menth.* unc. iv. *Syr. alth.* unc. ij. m. — 2da ventris tormina: ℞. *Decoct. laxativum.* — 6ta ℞. *Infusum amarum*, ut Obs. III.

Non obstantibus omnibus his remediis et sat diu continuata Solutione minerali, redivit febris, et cùm æger corticem sumere pertinaciter recusaret, adhuc diu illa cruciatus fuit, antequam penitus liberatus esset.

OBSERVATIO XII.

Teneræ puellæ, duorum circiter annorum, ab aliquot septimanis duplici tertiana correptæ, purgatis primis viis, dabantur 29na Junii *Solut. min.* drach. ij., ut caperet ter indies guttas iv. — 2da Julii repetebatur *Solutio.* — 3tia remanebat febris. Tum supersedebatur usu *Solutionis mineralis*; sed reliquum sumebatur partim 7mâ, 8vâ, et partim 16tâ et 17mâ. Unde sanitas integra successit.

OBSERVATIO XIII.

Filius *Joannis Schatteman*, 17 annor., corripiebatur 19.na Junii febre tertiana; conquerebatur plurimum, apyrexiæ quidem tempore, de dolore capitis et oris amarore. Post remedia præparatoria, 1ma Julii ℞. *Solut. min.* unc. sem., sumantur gutt. xiv. ter de die. — 3tia: Repetatur *Solutio.* — 7ma febris disparuit. — 9na propter aliqua ventris tormina ℞. *Decoctum laxativum.* — 10ma ad recidivam arcendam ℞. *Solut. min.* unc. sem. — 15ta repetebatur adhuc. His non obstantibus febris rediit, sed postea sensim sensimque disparuit.

OBSERVATIO XIV.

Joanna Bouchaute, 21 annor., pro sua ætate corpulenta, temperamenti sanguinei, initio Julii febre tertiana simplici corripiebatur, quæ post quatuor paroxysmos in duplicem commutabatur cum borborygmis et levi dolore imi ventris. Post eccoproticum, 15ta Julii ℞. *So-*

lut. min., modo ordinario sumendam. — 17ma febris nunc potius continua, cum majori prostratione virium, siti notabili &c. ℞. *Mixt. salin.* ut Obs. V. — 18va ℞. idem. — 20ma erat sine febre et convalescere videbatur. — 27ma redit febris sub typo rursus tertianæ: ℞. *Solut. min.* unc. semis. — 31ma repetatur. Augusti 2.da remansit febris; sed propter corporis intumescentiam et sitim parumper adauctam ℞. *Decoctum laxans.* — 3^{tia} ℞. *Mixt. salin.* Obs. V. — 5ta et 6ta adhuc bis de die *Solut. min.* gutt. xij porrigebantur; quod repetebatur 15ta et 16ta, sed tamen febris dein adhuc aliquot habuit insultus His sponte desinentibus prospera brevi valetudo succedebat.

OBSERVATIO XV.

Filiæ *Livini Saey*, æt. 14 annor., tertiana laboranti, post aliquot paroxysmos, corporeque disposito, præbetur 27 Julii *Solut. min.* unc. sem., ut sumantur gutt. xij. ter in die. — 30ma repetitur *idem.* Hinc disparuit febris. — 15ta Augusti ad præcavendam recidivam ℞. *Solut. min.* unc. sem. — 24ta revertitur febris. — 26ta repetebatur usus *Solut. min.* — 30.ma persistit febris ac sibi relinquitur. — 4ta Septembris datur mixtura resolvens qua ægra sensim convaluit.

OBSERVATIO XVI.

Uxor *Judoci van Hyfte*, æt. 40 ann., numerosæ prolis mater, temperamenti sanguinei, septem tertianæ febris paroxysmos passa, consuluit supra dictum peritissimum D. *Bruggeman* 27 Julii 1804, dedit hic *Solutionis min. Fowleri* unc. sem., modo ordinario sumendam. Postridie ob sedes frequentiores

℞. *Extract. Op. Homberg.* gr. iij
Pulv. rad. ipecac. gr. vj.
F. pill. n° vj.

Ad sumendam unam quarta quaque hora, donec alvus liquidior subsisteret. -- 30ma Julii repetebatur *Solutio min.* -- 2da Augusti cum ægrotans ægre ferret Solutionem hanc, substituebatur cortex Peruv. rub., quo febris fugabatur. Recidivabat autem 24ta Evacuato tum levi fomite bilioso, persistente febre, dabatur denuo 2.da Septembris sequens:

℞. *Solut. min.* gutt. cxx.
Syr. de mecon. unc. j. et semis.
- - - - *alth.* unc. j.
Aq cōīs. unc. vj.
M.
Dentur quarta qq. hora cochlearia duo.

4.ta Septembris mixtura hæc repetebatur, sed res non successit; debuit febris cortice vinci ac dein arceri.

Mense Augusto.

OBSERVATIO XVII.

Petrus Crabeel, æt. 30 annor., asthmate periodico obnoxius, febre tertiana corripitur. Disposito corpore, 4ta Augusti ℞. *Solut. min.* unc. sem. more solito sumendam. -- 6ta repetatur. -- 8va remansit febris; sed ob aliqua ventris incommoda, ℞. *Decoct. laxat.* -- 9na tamquam tonicum ad recidivam arcendam ℞. *Pulv. cort. peruv. rub.* unc. sem. f. dos. n° vj. Sumatur una ter in die. Æger absque recidiva convaluit.

OBSERVATIO XVIII.

Macharius Poelman, quinquagenarius, temperamenti cholerici, duplici tertiana corripitur. Disposito corpore per mixturam temperantem ùt Obs. XI. 5ta Augusti ℞. *Solut. min.* drach. ij. *Syr. de mecon.* unc. j et sem. *Alth.* &c. ùt Obs. XVI. -- 7ma repetatur eadem mix-

tura. -- 20ma febris remansit, sed levis faciei intumescentia observatur: ℞. *Decoct. laxat.* -- 13^{tia} qua tonicum et recidivæ prophylacticum præscribuntur *Pulv. cort. Peruv. rubr.* drach. vj. f. doses vj. intra biduum absumendæ. -- 21ma ad magis firmandam convalescentiam ℞. *Pulv. corticis*, unc. sem.

Hinc integra mansit sanatio. Non dubito quin etiam integra mansisset, si loco corticis Peruviani datus fuisset cortex Quercinus, ùt post data alia febrifuga mihi res succedere solet.

MENSE SEPTEMBRI.

OBSERVATIO XIX.

Franciscus Adam, æt. 24 ann., temperamenti biliosi, plurimos tertianæ paroxysmos patitur. 4ta Septembris. ℞. *Solut. min.* unc. sem., ut qualibet octava hora de die sumat gutt. xx. -- 6ta ℞. *Solut. min.* drach. vj. eodem modo sumendas. -- 4ta 8^{bris} redit æger conquerens de febris recidiva, jam tussi stipatâ laboriosâ, cum sputis mucosis et spirandi difficultate: ℞. Conditum pectorale ùt Obs. IX. et pill. ex *Extract. Hombergii* et *Ipecac.* ùt Obs. XVI. dentur pill. ij. omni vespera. -- 8va 8^{bris} : repetatur conditum. Posthac febris adhuc per mensem pertinaciter perstitit; tunc quasi sponte cessavit; etenim nulla data fuerunt febrifuga, nulla saltem stricte dicta.

OBSERVATIO XX.

Mulier quadragenaria, plurimorum infantum mater, laxæ et debilis constitutionis, sub finem Augusti tertiana duplici cum paroxysmis protractissimis correpta, repetito sumit mixturam temperantem. -- 4ta 7^{bris} cùm febris intermissiones jam longiores evadebant, præscribebatur *Solut. min.* unc. semis., cum *Tinct. thebaicæ* gutt. xx., ut ter de die sumerentur gutt. xviij. 6ta per-

severante febre: ℞. *Solut. min.* drach. vj. — 9.na febre continuante cum ventris torminibus, ℞. mixturam ex *Solut. min.* &c. ùt Obs. XVI. — 12.ma febris jam remansit, sed aucta et jam diarrhœâ stipata erant tormina: ℞. *Decoct. rad. salep.* unc. vj. *Syr. de mecon.* unc. ij. M. Sumantur cochlearia duo quartâ quâque horâ. Inde cessabat diarrhœa et tormina plurimum imminuebantur. *Repetatur mixtura.*

Postea rediit febris et æger quo tenebatur statu cachectico, transiit in verum hydropem, cui tandem succubuit.

OBSERVATIO XXI.

Infanti *Francisci Timmerman*, ætatis 2 circiter annor., a 2 septimanis simplici tertianâ laboranti, præscribuntur 6.ta Septembris *Solut. min.* drach. ij., ut inde ter indies gutt. iv. sumat. — 11.ma remansit febris. Verum 18va redit: repetitur idem et mox cedit febris nec ultra redit; infansque perfecte convaluit.

OBSERVATIO XXII.

Uxor *Livini Verlot*, æt. 30 ann., quæ plurimos pepererat infantes, biliosæ et teneræ constitutionis, ineunte mense Septembri febre remittente corripiebatur. Post dies 13 vel 14 hæc in intermittentem commutata est, et datur 16 Septembris *Solut. min.* ùt Obs. XVI. — 21.ma febris remansit. — 23.^{tia} propter levem intumescentiam dantur *Decoct. laxat.* unc. iij. — 24.ta ad corpus firmandum: ℞. *Tinct. cort. peruv.* unc. iv. Bis parvum cochlear de die.

Præter leviusculam recidivam perfecte convaluit.

OBSERVATIO XXIII.

Uxor *Petri Standaert*, æt. 24 ann., temperamenti biliosi, circa medium Augusti tertianâ invaditur.

Modo 5 paroxysmos passa et prævie purgata fuerat. Quocirca 24ta Augutsi ℞. *Mixt.* ex *Solut. min.* ùt Obs. XVI. — 26ta repet.; 27ma nova signa materiæ turgescentis versus superiora: ℞. vomitorium. Postridie remanet febris. — 29na ad prospiciendum primis viis ℞. *Tinct. absynthii.* — 12ma Septembris: recidiva. Jam, sic volente ægrâ, Cortice auffertur, nec reversa est.

OBSERVATIO XXIV.

Uxor *Guilielmi van Styfte*, quinquagenaria, temperamenti sanguinei, medio Augusto tertianâ præhenditur. Purgato corpore, persistit febris; unde 28va ℞. *Mixt.* cum *Solut. min.* ùt Obs. XVI. — 29na repet.; — 1ma Septembris desistit febris. — 5ta ad valetudinem firmandam ℞. *Pulv. cort. peruv.* unc. semis, f. dos. vj. dentur 2 de die.

Perfecte convaluit.

OBSERVATIO XXV.

Uxorem *Davidis Vercauter*, æt. 35 ann., temperamenti biliosi, circa finem Augusti aggrediebatur tertiana duplex. 3^{tia} Septembris apyrexiæ quidem tempore persistebant sitis et dolor capitis cum alvi laxitate. — 6ta imminutis his symptomatibus: ℞. *Mixt.* cum *Solut. min.* ùt Obs. XVI. — 7ma et 8va adhuc persistente febre, repetatur *Mixtura.* — 9na remansit febris; sed ob aliqua ventris incommoda ℞. *Dococt. laxativ.* unc. iij. pro haustu. — 11ma ad corpus roborandum et recidivam præcavendam ℞. *Cort. peruv. rubr.* drach. vj. f. pulv. n^{o} viij. dentur duo vel tres quotidie.

Perfecte sanitati restituta fuit.

OBSERVATIO XXVI.

Filio *J. Timmerman*, æt. 17 ann., 14ta Augusti ter-

tiana correpto, post evacuantia quæ indicabantur, 28va datur sequens: ℞. *Solut. min.* gutt. lx. *Syr. de mecon.* unc. j. *Aq. cōīs.* unc. vij. M. Detur cochlear quartâ quâque horâ. -- 30ma repetatur. -- 4ta 7^{bris} repetatur. -- 5ta remansit febris. -- 20ma febris a 18va redierat cum signis saburræ gastricæ. Exhibentur *Decoct. laxat.* unc. iv., cochleatim sumendæ, donec alvus aliquoties respondeat. -- 21ma ℞. *Mixt.* ut 28 Augusti; 22da repetatur. -- 27ma semper perseverante febre: ℞. *Solut. min.* drach vj., ut ter de die sumantur gutt. xviij. -- 3^{tia} Octobris febris remedio pertinaciter resistit, eoque supersedetur. Sensim a febre et a levi corporis intumescentia convaluit æger aliis remediis.

OBSERVATIO XXVII.

Joannes van Loo, æt. 28 ann., temperamenti sanguinei, exeunte Augusto, febre tertiana corripiebatur. Apyrexiæ breves erant. Dantur signa cruditatum primarum viarum. Hæ pluribus eccoproticis mundantur.

Quinta Septembris jam primis viis purgatis, apyrexiæ longiores factæ sunt: ℞. *Solut. min.* gutt. c. *Syr. alth.* unc. ij. *Aq. cōīs.* unc. vij. M. Dentur omni quartâ horâ cochlearia duo. -- 6ta repetatur *Mixtura.* -- 7ma pravus in ore sapor cum ventriculo nauseabundo: ℞. *Vomitorium.* -- 8va febris nulla et protinus remansit excepta perlevi sive nullius momenti recidiva.

OBSERVATIO XXVIII.

Filius *Judoci de Backer*, æt. 18 annor., temperamenti biliosi, initio mensis Septembris tertiana prehendebatur.

Decima septima: nulla saburræ signa, sed sitis etiam apyrexiæ tempore: ℞. *Mixt. temperant.* Observ. II. -- 23^{tia}: febris eadem: ℞. *Mixt. cum Solut. min.* ut Obs. XVI. -- 26ta et 27ma ℞. *Idem.* -- 28va: pra-

vus in ore sapor cum nauseis : ℞. *Vomitorium.* Ter cum levamine biliosa vomebat. — 29na febre adhuc perseverante : ℞. *Mixt. min.* ut ante, adde *Syr. rad. columbo* unc. j. — 30ma febris remanet. Postea per tres fere hebdomadas quotidie paucum Corticis exhibetur recidivæ arcendæ gratia. Sanitas mansit intemerata.

OBSERVATIO XXIX.

Andreas Coppejans, æt. 36 ann., temperamenti sanguinei, tertio Novembris febre continua corripitur, quæ temperantium et laxantium ope, 10ma ejusdem mensis in intermittentem quotidianam convertitur. — 12ma ℞. *Mixturam min.* ùt ante. — 13^{tia} et 15ta : ℞. *Idem*, eâdem manente febre. — 17ma hæc non amplius apparet. Datur adhuc aliquo tempore paucum Corticis ad recidivam præcavendam; quod optime successit.

OBSERVATIO XXX.

F. Schelstraete, vir 30 ann., $temp^{ti}$ atrabil., sub finem Octobris quartanâ laborare cœperat, alioqui apyrexiæ tempore perfecte sanus. — 28va Novembris omnia adhuc in dicto statu : ℞. *Mixturam min.* ùt in Obs. XVI. Repetitur 29na et 1ma Decembris, persistente scilicet febre. Hæc 3^{tia} remanet, sed ventriculus nauseis torquetur. — 4ta ad recidivam avertendam præbentur *Corticis Peruv.* drach.. v. &c. intra biduum sumendæ. — 9na cessaverunt nauseæ, sed nunc queritur æger de molesta abdominis post pastum inflatione : datur *Pulv. Corticis* et *Nuc. gallar.* — 19na ob metum recidivæ adhuc datur semiuncia *Corticis* partitis vicibus sumenda. — 9na Januarii 1805, quidquid moliti fuerimus, febris revertitur, quam jam Cortice profligamus, et illius usu debite continuato fore ut nova recidiva arceatur speramus. Hoc denuò non succedit, medio Februario redit, minoribus tamen paroxysmis. Aliis auxiliis tractatur et sensim disparet.

OBSERVATIO XXXI.

Vidua *Caroli Verlinde*, sexagenaria, pauperrima, cachectica, sub finem Octobris febre corripiebatur quartanâ.

Vigesima sexta Novembris D.^{num} *Bruggeman* tandem consulit. Hic illam extra paroxysmum sanam inveniens, exhibet *Mixturam min.* Obs. XVI. Bis repetitur 28va scilicet et 1ma Decembris. — 2da hujus febris remanet. — 4ta ad corpus firmandum: ℞. *Cort. peruv. rubr.* unc. sem. partitis dosibus sumendam. — 13^{tia} supervenit diarrhœa cum levi intestinorum dolore: ℞. *Mixturam* obvolventem ex *Decocto saiep*, *Syr. de mecon.* &c. — 16ta repetitio. — 18va continuatio diarrhœæ cum summa virium prostratione. Omnia ipsi desunt, cibus, potus, lectus: straminibus incumbit sine tegumentis. ℞. *Pulv. cort. peruv. rubr.* unc. sem., *Terr. japon.* drach. sem., *Tinct. thebaic.* gutt. xxx., *Syr. alth.* q. s. f. bol. n° v. — 21ma obiit.

1805.
MENSE JANUARIO.

OBSERVATIO XXXII.

J. vander Sypt, æt. 35 ann., temperamenti sanguinei, a mense Novembri quartanâ laboraverat dum demum 3^{tia} Januarii medelam petit.

Extra accessionem perfecta observatur sanitas. datur *Mixt. min.* Obs. XVI. — 4ta, 6ta et 7ma repetitur. — 9na febris semper æque furenter remedio resistebat, et Cortici domanda traditur. Domatur, sed revertitur et tandem antimonialibus atque extractis amaris sensim sensimque extinguitur.

OBSERVATIO XXXIII.

Alb. Coene, vir fortis, quadragenarius, a duobus circi-

ter mensibus febre quartanâ prehensus, 9na Januarii pro remedio accipit: *Solut. min.* unc. j. ut ter de die gutt. xx. cum aqua sumat. — 12ma ℞. *Idem.* — 15ta febris desiit, sed tussis nunc affligit molesta cum respiratione laboriosa. Dantur remedia secundum novas indicationes. — $24^{tâ}$ febris redit: refugitur iterum ad Arsenicum et porrigitur *Mixt. min.* Obs. XVI. — 28va repetitio. — 1ma February status hydropem minatur; unde *Solutione min.* supersedetur et præbentur alia appropriata præsidia. Paroxysmî nunc leves erant et paulatim antimonialium et extractorum amaricantium usu detriti ac deleti fuêre.

OBSERVATIO XXXIV.

Judocus de Valkenaere, quadragenarius, vir pauper, temperamenti melancholici, ab initio mensis Novembris 1804, quartana laborans, 20ma Januarii nihil querebatur quod aliquam corporis præparationem indicaret: præscribebatur uncia una et semis *Solutionis min. Fowler*, ad gutt. xx. octava quaque hora sumenda. — 17ma adhuc semiuncia. — $30^{mâ}$ persistebat febris, paroxysmis tamen plurimum imminutis, ac ideo dabatur rursus *ejusdem Solutionis* uncia integra: sed incassum; unde ab ea omnino abstinebat D. *Bruggeman.* — $10^{mâ}$ Martii *Corticis Peruviani rubri* auxilio febris fugatur, et ad recidivam præcavendam adhuc adhibetur opportunis temporibus *Corticis* uncia una et semis. Non obstante tanta quantitate *Corticis Peruviani rubri*, redibat febris sub finem Aprilis, levioribus tamen paroxysmis. Febris tum sibi relicta, sensim sua sponte desinit, et æger ab eo tempore in hodiernum diem perfecte sanus vivit.

MENSE FEBRUARIO.

OBSERVATIO XXXV.

Livinus Huyvetter, quadragenarius, temperamenti

ad melancholicum vergentis, tertiana simplici corripiebatur, cum lingua subalbida, siticulosa et capitis dolore, tempore apyrexiæ remanentibus. 19na Februarii incipitur cura temperantibus, dein continuatur antimonialibus usque ad 6^tam^ Martii. Febris persistebat; quapropter dabatur semiuncia *Solutionis min.* — 8va *ejusdem* drach. vj. et tantumdem 10ma ejusdem mensis. — Febris 11ma remanebat. — 14ta propter ventris tormina et alvum laxiorem, sumebat *Mixturam* involventem Obs. XX. — 15ta iisdem perseverantibus dabatur *Decoctum laxativum*, ac immediate post operationem illius repetebatur *Mixtura* involvens. — 17ma prædictis symptomatibus plurimum imminutis, ℞. *Opii* gr. iij. *Pulv. rad. ipecacuanhæ* gr. vj. F. pill. n° vj., quarum una ter in die sumebatur, unde convaluit æger et in hodiernum diem vivit sanus.

MENSE MARTIO.

OBSERVATIO XXXVI.

Ancilla *Guilielmi van Hyfte*, æt. 20 ann., temperamenti sanguinei, 15ta Martii tertiana prehendebatur, quæ frustrato temperantium et dein antimonialium usu, 17ma adhuc persistit. Præscribit medicus *Mixturam* ut Obs. XVI. cum CL. guttis *Solut. min.* — 28va repetitur eadem *Mixtura.* — 31ma remanet febris, sed adest levis faciei intumescentia. Bis laxante uti opus erat. exinde ægra convaluit, et præter parvam recidivam nihil perversi imposterum ipsi accidit.

OBSERVATIO XXXVII.

Uxor *Joannis Stevens*, æt. 37 ann., ex rachitide gibba, claudicans, et difformis tota, cachecticæ constitutionis, respirationis difficultati et tussi fere continuæ obnoxia, sub finem Februarii tertianâ laborare cœpit. 4ta Martii dabatur ei *Mixtura pectoralis*,

Obs. IX. -- 6ta repet. -- 10ma pulveres ex *Sulphur. antim. aur.* gr. xij. *Pulv. rad. Irid. flor.*, *Sacchar. alb.* āā drach. ij. F. pulv. xij. Dentur quatuor de die. -- 20ma febre non auscultante, dabatur *Mixtura*, Obs. XVI. cum lxxx. guttis *Solut. min.*, et hæc iterabatur cum c. guttis 13tia et 16ta. -- 20ma cum febris pertinaciter resistebat, *Cortice Peruviano* illam fugare necesse fuit, exinde hucusque integra illi sanitas mansit.

MENSE MAJO.

OBSERVATIO XXXVIII.

Cornelis Eekman, vir fortis, æt. 28 ann., temperamenti biliosi, initio Maii tertianâ prehendebatur. -- 12ma lingua ex albo flavescens cum siti et cephalalgia, apyrexiæ tempore persistentibus, præscribebatur *Mixtura temperans* Obs. XI. -- 14ta *Vomitorium*, et 18va repetebatur *Mixtura temperans*. -- 20ma pulveres alterantes ex *Sulphure antimon. aurat.* Obs. XXXVII. -- 24ta perdurante febre, dabatur *Solut. min.* semiuncia, ut ter de die xx. guttæ sumerentur. -- 28va reiterabatur. -- 3tia Junii cum æger nunc a tribus diebus mansisset absque medicamine, et leviores adhuc persentiret febris accessus, porrigebatur illi iterum ejusdem *Solutionis* uncia integra, ut inde sumeret quantitatem ordinariam donec febris penitus remaneret; commendabaturque ut idem remedium iterasset quinta die postea, ad recidivam præveniendam. Deinceps perfecta illi fuit valetudo.

MENSE SEPTEMBRI.

OBSERVATIO XXXIX.

Vidua sexagenaria admodum debilis medio Septembri plectebatur febre tertiana duplici. 26ta ejusdem mensis dabatur ei *Mixtura* Obs. XXVI. cum c. guttis *Solutionis min. Fowleri*, quæ repetebatur 27ma; febris

30ma cessabat. — 1ma Octobris aliqua ventris tormina requirebant laxans ordinarium. — 2da ad corpus roborundum et recidivam præcavendam, accipiebat semiunciam *Corticis peruviani rubri*, in sex pulveres divisam ac exinde perfecte convaluit.

MENSE NOVEMBRI.

OBSERVATIO XL.

Filia *Joannis Boele*, æt. 12 ann., valde tenera, a medio Octobri quartanâ corripiebatur, 14ta Novembris post data et repetita resolventia, ℞. *Mixturam* Observ. XVI cum c. guttis *Solut. min.* — 16ta iterabatur *Mixtura.* — 19na accipiebat tantum *mixturæ* medietatem. Cum febris ulterius resistebat, coactus erat medicus illam *Cortice* fugare, quod ex voto, servatis servandis, absque recidiva succedebat.

OBSERVATIO XLI.

Petrus Serant, vir 35 ann., temperamenti biliosi initio Nobembris quartana laborare cœperat 26ta Decembris porrigebatur illi *Mixtura* Obs. XVI cum *Solut. min.* guttis xc. — 28va repetebatur cum cxx. guttis, ac 29na iterum cum xc. guttis, unde febris desinebat. — 1ma Januarii 1806, levis corporis intumescentia purgantis necessitatem injungebat. — 5ta ad recidivam inhibendam ℞. *Corticis peruviani rubri* drachmas vj., in sex pulveres divisas et intra duos dies sumendas. — 19na ℞. *Corticis* unc. semis, sic febris remanebat ad finem usque Februarii; sed cum tum iterum reverteretur, dabatur denuo 10ma Martii *Solut. min.* uncia una modo ordinario sumenda. — 12ma ℞. *ejusdem* drach. vj., et 15ta unc. sem. Hinc desistebat febris. Ad recidivam præcavendam 21ma ℞. *Corticis peruviani* unc. semis, quod 8va Aprilis repetebatur. Hinc præter parvam recidivam, quæ ultro sponte desiit, sanitate integerrima fruitur.

OBSERVATIO XLII.

Uxori *Guilielmi Schatteman*, pauperrimæ, sanæ constitutionis, cujus remittens febris autumnalis mense Septembris in veram intermittentem tertianam transiverat, dabatur 24 Octobris drachma semis *Pulveris arsenicalis Plenciz* in tres pulveres divisa, ut quaque vice hora ante paroxymum sumeret unum *(e)*. Tertia vice febris remanebat. — 17ma Novembris porrigebantur illi adhuc duo tales pulveres, ut bis alterno die caperet unum recidivæ præveniendæ causa, quod ex voto succedebat. Sed idem remedium etiam in ejus marito, quartana laborante tentabatur frustra.

OBSERVATIO XLIII.

Infans *Petri van Waes*, æt. 2 ann., ab ultima Octobris quartana laborabat, de cæteris tempore apyrexiæ sanus, *Corticem* præscriptum cum sumere renueret, 20ma Novembris dabantur *Pulveris Plenciz* grana duo, hora ante paroxysmum sumenda, quod reiterabatur 27ma; inde febris remanebat. — 3tia Decembris adhuc unus pulvis ejusdem quantitatis ad recidivam præcavendam. Sed quidquid ulterius moliebatur medicus, matrem infantis inducere nequibat ad debito tem-

---

(e) Cum guttæ quæ decidunt ex phiala largo orificio instructa et quæ lenta manu effundnntur longe majores sint quam quæ ex arcta colli facie manu celeri præcipitantur, sicque justa Arsenici dosis ægrè limitari queat, satius videtur illud exhibere sub forma solida, qua doses securius separantur. Id satis innuit D. MONRO, *Med. and pharm. Chymistry. Vol. II*, p. 402. Reflectit D. SHUTTLEWORTH, guttulas variari non solum variato vasis labio unde distillant, sed etiam variante atmosphæræ temperatura. Experimenta ejus demonstrant differentias illas putato longe majores esse. *Annal. de litt. méd. étrang Cah. LVII*. p. 252. Horruit D. BRUGGEMAN, dum ægri post duos dies redibant dicturi se remedium absumpsisse, ubi se pro tribus diebus ipsis de Solutione min. prospexisse reminisceretur. Tamen nulla inde vidit infortunia.

pore iterandum remedium; quia, ut dicebat, infans jam recte valebat; unde recidiva febris, sed tantum levis, supervenit, et sibi relicta brevi evanuit.

OBSERVATIO XLIV.

Infans *Josephi van de Putte*, æt. $2\frac{1}{2}$ ann., quartana laborabat; 4ta Decembris dabantur ei grana quatuor *Pulveris Plenciz*, pauco *Extracti graminis* in duas formata pilulas, ad quaque vice, hora ante paroxysmum, unam sumendam. Data tertia pilula, prorsus remanebat febris. Ad recidivam præcavendam, capiebat adhuc unam decima nona et vigesima octava ejusdem mensis die. Sic perfecte convaluit.

OBSERVATIO XLV.

Adolescentula 18 ann., temperamenti sanguinei, teneræ constitutionis, febre vernali tertiana laborabat. Dum septem paroxysmos habuerat, præmissis præmittendis, 23tia Februarii porrigebantur ei gr. x. *Pulveris arsenicalis Plenciz*, pauco *Extracto graminis* in duas pilulas formata *(f)*, hora ante paroxysmum sumendas. — 24ta gr. vj. eodem modo sumebat, et 26ta iterum gr. viij. Nunc febris illam relinquebat. — 6ta Martii et 13tia, pariter hora una antequam febris invadere solebat, devorabat pilulam constantem granis viij. *ejusdem pulveris*. Ita sine recidiva sana permansit.

OBSERVATIO XLVI.

Joannes Everaert, sexagenarius, initio Martii tertiana corripiebatur. Præmissis præmittendis, dabantur

---

(f) Præferenda videtur forma pilularis, quia dum forma pulveris in liquido aliquo sumitur Arsenicum, sua gravitate fundum vasis petit, et ita incerti reddimur, de quantitate sumpta.

25ta *Pulveris Plenciz* gr. x., ope *Extracti graminis* in duas pilulas redacta, hora ante paroxysmum sumendas, unde vomitus excitabatur et æger male se habebat tempore, quo febris adesse solebat. Hæc vero nec hac vice, nec postmodum amplius comparuit. — 29na propter ventris tormina ei præscribebatur eccoproticum, ac exinde perfecte convaluit.

OBSERVATIO XLVII.

Uxor *Josephi van de Putte*, æt. 27 ann., temperamenti sanguinei, tertianâ laborabat simplici et regulari. Jam octo paroxysmos passæ dabantur 14ta Aprilis gr. viij. *Pulveris Plenciz* in duas redacta pilulas, hora ante paroxysmi invasionem sumendas. — 16ta eodem modo gr. vj. Hinc febris deserebat illam. — 19na et 23tia ad recidivam præcavendam sumebat adhuc quaque vice gr. vj. horâ ante tempus quo febris revertere consueverat. Cum vero ulterius remedium repetere recusaret, tertia Maii denuo parvam subivit recidivam; post quatuor accessus perfecte restituta est.

OBSERVATIO XLVIII.

Infans *Jacobi Heckstyl*, æt. 4 ann., circa finem Martii tertianâ prehendebatur. Post aliquot paroxysmos, dabatur 14ta Aprilis pilula ex tribus granis *Pulveris Plenciz*, repetabatur 16ra et 18va unde febris remanebat, sed tanta subsequebatur corporis intumescentia, ut adhibito cathartico, de *Specifico Plenciz* ad recidivam præcavendam amplius cogitare haud liceret. Febris postmodum rediit cum tenso abdominis tumore; sibi relictâ, tractu temporis omnia ita disparuêre, ut infans jam perfecta fruatur valetudine.

OBSERVATIO XLIX.

Filia *Petri Verniers*, juvencula 20 ann., fortis et

temperamenti sanguinei, mense Aprilis febre laborabat tertiana duplici, cui porrigebantur 20ma Aprilis *Pulveris Plenciz* gr. vj., sumenda modo et tempore ordinariis, quod bis repetebatur. Inde remanebat febris; cum autem nulla adhiberet prophylactica, rediit brevi, sed sibi tum relicta sensim desiit.

OBSERVATIO L.

Filius *Van Hecke*. æt. 16 ann., a tribus hebdomadibus, tertiana ægrotaverat. Tum præmissis præmittendis 12ma Maii gr. viij. *Pulveris Plenciz* in duas pilulas efformanda præscribebantur, hora ante insultum febris sumenda. Id 14ta repetebatur. Sic sistebatur febris. Succedens vero corporis intumescentia, 16ta et 20ma leni purgatione uti cogebat. Ita symptoma illud penitus abigebatur. In prophylacticum sumebat 24ta et 30ma, quaque vice tempore debito, *ejusdem pulv.* gr. vj., nihilominus rediit febris; quæ sibi relicta, tandem disparuit, ita ut æger jam optime valeat.

OBSERVATIO LI.

Infans *Joannis Baptistæ Teirlynck*, æt. 5 ann., jam diu duplici tertiana laborabat. 18va Maii ℞. *Pulv. Plenciz* gr. vj. f. pill. n° ij., detur una, horâ ante invasionem. Præterea tempore intercalari ℞. *Extract. flor. Camomil.* &c. — 22da cum tertiam pilulam assumpserat, remanebat febris. Continuabat adhuc dies aliquot usum prædicti Extracti, et repetebat usum Pilulæ 26ta Maii et 6ta Junii, sicque convaluit.

Notandum febres intermittentes procedente ulterius anno in nostra regione adeo rebelles fuisse et quidem malignas, ut in jam canescentis praxeos nostræ decursu nunquam tales observaverimus. Ipsa etiam optima *Corticis peruviani* species nonnumquam fallebat.

2° EMULSIO AMYGDALINA - CENTAURIATA (g).

Dedimus nos *Lac* sive *Emulsum Amygdalinum*, quemadmodum *Frankius*, cum *Extracto Centaurii minoris*, hac norma:

℞. *Amygdal amar.* drach. ij.
Aq. cōīs. unc. iij.

F. emuls. cui adde

Extrat. Centaur. min. drach. ij.
M. *(h)*

Sumatur tota mixtura, unica vice, hora ante febris insultum.

III. *Frankius (i)* hæc habet: "Specificum antifebrile contra omnes intermittentes, si non oriantur ex vitio organico, neque jam inde cachexiæ subortæ sint, constituitur, ubi extracta amara, potissimum vero extractum *Centaurii minoris* cum substantia narcotica *Amygdalarum amararum* commiscentur. Extracti hujus drach. semis ad drach. j. in emulsione facta ex Amygdal. amarar. drach. ij., solvitur, et hæc mixtura unica vice, una circiter hora ante paroxysmum sumitur. Plerumque hac dosi tantum semel, bis, ad summum ter repetita opus erat, ad tollendas tertianas aut quotidianas. Pro ordinariis febribus intermittentibus, simplex hoc et vilis pretii remedium, præcipue apud pauperes et rusticos benevole accipiendum est, eoque magis commendabile se præbet, quod plura successuum centena nunc nota sint, quæ ejus efficaciam prædicant".

(g) Sit quæso venia nomini *Centauriata*.

(h) De Amygdalis amaris et de Centaurio minori postea singulatim, verba faciemus.

(i) Vid. HUFELAND, Journ. der practischen Heilkunde. Band XXIV, St. IV, p. 154.

Mensibus Augusto et Septembri, in nosocomio civico-militari plurimum hoc remedio usi sumus (*k*). En quo successu :

Prompte sanati fuerunt :

1° *Chancke*, æt. 23 ann., a 20 diebus febre quotidiana afflictus ; sumit Emulsionem et jam prima vice febris solito serius venit, 2da vice remanet nec amplius apparet.

2° *Partels*, æt. 25 ann., ab 18 diebus quotidianam passus, ante 19^num^ paroxysmum sumit semel Emulsum et integre sanatus est, nullo dein apparente febris vestigio.

3° *Brunet*, æt. 32 ann., eodem temporis spatio cum quotidiana luctans, etiam ante 19^num^ insultum remedium sumit, et en hic non prodit ; *Brunet*, ùt *Partels*, sanatus est.

4° *Vanden Berghe*, æt. 22 ann., ab octiduo quotidianâ vexatus, etiam ad primam sumptionem integre sanatur.

5° *Lavoland*, in ejusmodi febre, ex unica sumptione remedii eumdem experitur successum.

(*k*) In nosocomiis collaboratores mihi fuerunt Collegæ mei æstimatissimi, insignes profecto medicinæ practici, quos jam grato animo nominare licet : nempe olim DD. VERVIER et VANDER WOESTYNE, præcipuo vero et nuperius DD. VAN LOKEREN, VAN ROTTERDAM, BOONE et nec inter minimos D. BOUCHEL. Etiam oblivisci nefas foret D. VANDER ELST, multæ jam doctrinæ studiosi qui inter ægros milites assiduus, ubi per otium mihi non licebat ad eos accedere, eventuum historias sedule notabat atque ad me exacte deferebat.

Nota judicio Societatis posterior.

6° *Harion*, æt. 22 ann., a 22 diebus quotidiana afflicto, ad primam dosim febris extinguitur penitus.

7° *Williame*, æt. 21 ann., a semili febre, quæ per 32 dies duraverat, eadem promptitudine liberatur.

8° *Treupert*, æt. 21 ann., in quotidiana 30 jam diebus vexante, unico Emulsò consanescit.

9° *De Meyer*. In quotidiana abhinc 15 diebus orta, idem contingit.

10° *Denis*: idem.

11° *Bruycker*: idem.

12° *Verweg*, æt. 21 ann., idem. Licet febris 56 dies duraverat.

13° *Hoffman*, æt. 19 ann., a 23 diebus quotidiana afflictus, ter sumendo Emulsum, omni febre protinus liberatur.

14° *Borch*, 26tum ætatis annum agenti, et a quatuor diebus quotidianâ laboranti omnino idem accidit.

15° *Steiger*, æt. 23 ann., a 28 diebus tertianam passus, unica vice remedium nostrum sumens, integre convalescit.

16° *Holtmerck*, æt. 24 ann., a 6 diebus tertiana laborans, sumit semel Emulsionem et insultus remanet protinus.

17° Idem contigit *Boudry*, ab 11 diebus tertiana laboranti.

18° *Kok*, æt. 23 ann., a 25 diebus quotidiana afflictus, cùm tertio sumeret Emulsum, febris remanebat.

Lentius hujus Emulsi ope sanati:

1° *Engelsma*, æt. 23 ann., in quotidiana, a 30 diebus orta, quater remedium sumere debuit, tum vero febris eum dereliquit.

2° *Poulain*, æt. 20 ann., in quotidiana jam 23 dies durante ter sumpsit Emulsionem sine fructu; tum præscribitur Cortex Peruv. duobus sequentibus diebus, æque inutiliter; tunc uno die datur Mixtura stomachica, etiam in vanum; tandem reditur ad Emulsum et ad primam dosim jam febris dissipatur.

3° *Jansens*. De eo eadem dicenda quæ de *Engelsma* superius dicta fuerunt.

4° *Wesland*, æt. 21 ann., in quotidiana quæ a 64 diebus initium sumpserat, bis utebatur Emulso absque febris mutatione, tertio et quarto illud sumens levius singulis his vicibus habebat; quinta die paroxymus se non prodit; nec etiam deinceps.

5° *Bernhardt*, quater remedium sumendo eundem retulit fructum; quotidiana 38 dies duraverat quum Emulso uti ordiebatur.

6° *Mey*, a 35 diebus tertiana afflictus, ut bis remedium sumpserat febris minor observabatur, quartò autem sumenti plane desiit.

Remedium solatium sed non sanitatem peperit:

Pauwels, a 31 diebus quotidianâ vexato.

Nullatenus juvit sequentes :

1° *Reyst.* Sed tantum duas doses sumpsit, et quotidianæ 28 accessus habuerat;

2° *Fages*, qui quater illud remedium sumpsit, in quotidiana 23 dierum;

3° *Rutlich*, septies, in quartana 53 dierum, eo usum;

4° *Vercommen*, ter illo utentem in quotidiana 31 dierum, quæ dein non facile cedebat Cortici Peruviano;

5° *Vande Voorde*, qui semel modo remedio usus est, dein stomachicis et post 6 dies Cortice Salicis albæ, cui extemplo febris cedebat;

6° *Ulric*, ter eo usum, in quotidiana 36 dierum;

7° *Verweg*, ætatis 23 ann., (ut distinguatur a superius nominato) bis eo usum in quotidiana 40 dierum: nec juvit Salix alba, opus fuit Cortice;

8° *Klenter*, quater, in quotidiana 10 dierum;

9° *Schessens*, idem, in quotidiana 14 dierum;

10° *Elsner*, in tertiana 24 dierum tantum semel illud adhibentem;

11° *De Hulster*, quinies, in tertiana duplici 16 dierum *(l)*.

(l) Ubi pro militibus non exprimo ætatem, supponatur quæso,

Omnia jam recensita experimenta instituta fuerunt æstate anni 1808: en nunc quæ postmodum facta sunt in eodem nosocomio militari, mensibus Decembri 1808 et Januario Februarioque 1809.

Prompte sanati:

1° *Trempert*, æt. 9 ann., debilis constitutionis a 12 diebus quotidiana afflictus, ter sumendo Emulsionem integræ restitutus fuit sanitati.

2° *Callé*, robustæ constitutionis, a 17 diebus cum quotidiana confiictans, etiam ter sumendo Emulsionem plane convaluit.

3° *Mollet*, bonæ constit., ab octiduo quotidianâ laborans, semel sumendo Emulsionem, febrem suam penitus extinxit.

4° *Marchand*, tertianâ laborans a 17 diebus, bis sumendo remedium febre liberatus est.

5° *Cammels*, a 14 diebus tertianâ vexatus, ter illud sumendo eundem obtinet effectum.

6° *Berville*, quartanâ a 17 diebus, ter sumendo Emulsionem sanatus.

7° *Joubert*, quartanâ a 13 diebus, semel sumendo Emulsum sanatus.

8° *Draxel*, quartanâ a 27 diebus, ter sumendo remedium sanatus.

---

illos passim vicennio haud multo superiores esse, saltem nullum attingere 30 ætatis annum. Insuper universim monitum velim, fere omnes eorum febres paludosas sive in locis maritimis uliginosis contractas esse.

9° *Faillot*, quartanâ a 21 diebus, eodem modo et eodem temporis spatio.

10° *Calounec*, quartanâ a 23 diebus, semel illud sumendo.

Lentius sanati:

1° *Reisman*, constitutionis debilis, ætat. 41 ann., a 2 mensibus quotidianâ laborans et hydropem minans, quinies sumit Emulsionem et febris desinit, sed ascites se manifestat.

2° *De Vos*, infirmæ constitutionis, æt. 24 ann., a mense quotidianâ afflictus, sexies sumit Emulsionem et a febre liberatur.

3° *Bruin*, quotidianâ laborans a 16 diebus, cum quarto Emulsionem sumeret paroxysmus non apparuit, postridie vero rediit. Medicus præscribit Corticem Peruvianum, nihilominus paroxysmus redit adhuc: revertitur medicus ad Lac Amygdalinum et febris non amplius apparet deinceps.

4° *Veiselle*, æt. 40 ann., quotidianâ a 20 diebus conflictatus, quinies remedio sumpto, a febre liber observatur.

5° *Sem*, tertianâ a 17 diebus laborans, liberatur sumendo quater Emulsionem.

6° *Jacquier*, a 12 diebus tertianâ laborans, sexies illam sumendo, sanus evasit.

7° *Chabrier*, quartanâ, a 12 diebus quater illam sumendo.

8° *Stohls*, quartanâ, a 36 diebus, etiam quater sumendo.

9° *Bonnaerd*, quartanâ, a 26 diebus, idem.

10° *Verschueren*, quartanâ, a 7 diebus, idem.

11° *Luten*, quartanâ, a 26 diebus, idem.

12° *Van Eecke*, quartanâ, a 16 diebus, idem.

13° *Kuntz*, quartanâ, a 30 diebus, sumendo Emulsionem quinquies, liberatus.

14° *Bigot*, quartanâ, a 29 diebus, pariter sumendo quinies remedium nostrum.

Bini non sanati fuerunt :

1° *Dykhof*, debilis constitutionis, tertiana, a 16 diebus in quotidianam mutata laborans, bis sumpsit sine fructu Emulsionem, sed ob summam debilitatem mox ad Corticem confugitur.

2° *Vervoort*, ex mense, intermittente irregulari laborans et crura œdematosa jam gerens, quater sumendo Emulsionem, quod ob irregularitatem paroxysmorum rite fieri nequibat, nil profecit. Cortice res absolvitur.

Itaque hoc trimestri ex 26 febre intermittente cujuscumque typi laborantibus, vix unus non sanatus fuit hoc remedio : sed reflectendum septemdecim ex his sanatis, nempe omnes tertianarios et quartanarios diebus apyrexiæ ordinarie sumpsisse Mixturam ex Extractis amaris : Camomillæ scilicet et Taraxici cum pauco Sal. polychresti. Reliqui septem, nempe quotidianarii, sola Emulsione convaluerunt.

In nosocomio civico minorem habuit Emulsio successum; quod non valde mirum: cùm hic homines utriusque sexûs, omnis ætatis, inferioris conditionis artifices, operarii, mendici, vagabundi &c., morbis maxime complicatis crebro conflictati recipiantur.

Notandum quoque tam ingentem ægrorum numerum huc continuo confluere, ut nosocomium eos capere nequiret, nisi quâ possunt brevissimâ normâ curarentur; sic lentis remediis vix inhærere licet. Tantum allegabo exempla illorum qui hic tractati fuerunt solo hoc remedio, mensibus Januario et Februario hujus anni 1809.

Prompte sanati:

1° *Pauwels*, æt. 19 ann., temperamenti lymphatici, a 3 diebus, quotidianâ cum cruditate gastrica infestatus, purgato corpore, semel sumendo remedium febris non amplius apparuit, et æger sexto die nosocomium dereliquit.

2° *H. Verleyen*, æt. 16 ann., temperamenti lymphat., a 12 diebus quotidiana laborans, semel sumendo Emulsionem, febrem illico necavit.

3° *J. Borland*, æt. 30 ann., temperamenti pituitosi, a 4 diebus, quotidianâ affectus, cum prima vice Emulsionem sumeret, paroxysmus postponebat, 2da vix ullus apparuit, 3tia nullus.

4° *J. Backland*, æt. 23 ann., temperamenti lymphat., quotidiana a 3 hebdomadibus, ter sumendo Emulsionem sanatus.

5° *C. Hellebaut*, æt. 48 ann., temperamenti lymphatico-sanguinei, a 14 diebus, febre quotidiana afflicta, ter Emulsum sumendo, sanata.

6° *Ph. Thys*, æt. 16 ann., a 4 diebus recidiva quotidiana, bis sumendo Emulf., liberatur.

7° *J. Coppens*, æt. 27 ann., temperamenti biliosi, a 14 diebus quotidianâ laborans, cum ventre tumido et extremitatibus inferioribus œdematosis, ter sumendo remedium hoc, sanatur.

8° *J. Cnudde*, æt. 21 ann., temperamenti sang.-lymph., a 5 hebdomadibus, tertianâ laborans, post sumptum purgans, semel sumendo Emulsionem, febrem protinus tollit.

9° *F. Vereecke*, æt 27 ann., temperamenti lymphatico-sang., recidiva febris tertianæ paludosæ laborans, post Emetici usum bis sumendo Emulsionem, liberatur.

10° *J. Wille*, æt. 30 ann., a 6 diebus febre tertiana laborans, 7ma Februarii sumit Emeticum ob fomitem gastricum. — 8va paroxysmus; dein semel sumens Emulsionem, a febre immunis mansit.

11° *L. Rykbosch*, æt. 47 ann., temperamenti sanguinei, a 3 mensibus febre tertiana laborans cum œdemate extremitatum inferiorum, ter sumendo Emulsionem, omnino sanatus.

12° *J. Andries*, æt. 17 ann., a 6 mensibus primum quartana, nunc duplici tertiana laborans, bis sumendo Emulsionem, febrem penitus dispulit.

13° *J. Bail*, æt. 31 ann., temperamenti sang.-biliosi, in quartana duplici ter sumit Emulsionem et liberatur, sed febris post duas septimanas revertitur.

Lentius sanati fuerunt :

1° *C. Bracke*, æt. 24 ann., temperamenti lymphatici, 5 mensibus quotidiana poludosa laboranti, supervenit ascitis et lien observatur infarctus: quinies sumendo Emulsionem, integre sanatur.

2° *C vande Masse*, æt. 17 ann., a 7 mensibus quartana, nunc quotidiana laborans, sine signis obstructionum abdom., quater sumit Emulf. sine fructu; fomes gastricus apparet, datur Emeticum, tum ter dando Emulsionem febris tollitur.

3° *M. de Roos*, æt. 64 ann., temperamenti sanguineo-lymph., a 10 diebus febre tertiana, cum complicatione doloris catarrhalis ad homoplatam, laborans, quater sumpsit Emulsionem et sanata fuit.

4° *G. van Gampelaer*, quartana laborans, quinies sumendo Emulsionem, sana nosocomium deserit.

5° *P. F. Dilbar*, æt. 57 ann., temperamenti lymph.-sang., a 2 mensibus, tertiana paludosa liberatur sexies Emulsum sumendo.

Levamen obtinuerunt :

1° *P. F. Bregt*, æt. 30 ann. temperamenti lymph.-sang., a 3 diebus quotidiana affectus, post duo purgantia, sumit sexies Emulsionem, initio cum paroxysmorum diminutione, at hi brevi augescebant. Cortex prima vice febrem jugulat.

2° *T. Wetters*, æt. 25 ann., temperamenti sang.-lymph., a sex mensibus, febre intermittente, quæ diversos typos observaverat et jam in quotidianam tran-

siverat, laborans, sumpsit tres Emulsiones et febris ab initio fit manetque postponens, sed semper æque vehemens. Unde datur Cortex qui illico febrem jugulat.

3 ° *J. Liliaert*, æt. 22 ann., temperamenti sang., a 7 diebus tertiana recidiva laborans, ter sumpsit Emulsionem sine desiderato effectu; primus a sumptione paroxysmus multum diminutus fuerat, sed febris evadebat in quotidianam. Dato Cortice mox tollitur. Postea recidivam passus iterum Cortice sanari debuit.

4 ° *P. van Loo*, æt 20. ann., temperamenti biliosi, a 3 mensibus febre quartana recidiva laborans, quinquies sumpsit Emulsionem, at frustra, licet paroxysmus primam insequens sumptionem, minor et postponens observatus fuerat, et tres sequentes paroxysmi evanescere videbantur, ultimus rursus ingravescebat; et ideo ad Corticem refugium habebatur.

5 ° *J. de Cock*, æt. 20 ann., a 6 mensibus quartana duplici afflictus, sumpsit ter Emulsionem, at frustra, si exceperis quod post primam sumptionem paroxysmus minor esset et tardius ingrueret.

Nullum levamen adepti sunt;

1 ° *J. Aget*, æt. 23 ann., temperamenti sang., a 4 septimanis febre primùm tertiana nunc quotidiana laborans, bis sumpsit Emulsionem, sed paroxysmus immutatus perseveravit et viribus nimium fatiscentibus, datur Cortex, cui febris repente cessit.

2 ° *N. Stierman*, æt. 33 ann., in quotidiana recidiva cum tussi et fomite gastrico, post alia remedia præparatoria, bis sumit Emulsum sine fructu.

3 ° *C. Greniers*, æt. 46 ann., temperamenti lym-

phatici, a 5 mensibus febre tertiana laboranti et linguam parum obspurcatam habenti, datur ab initio bis Emulsio nostra sine fructu, e contrario paroxysmus augebatur. Tum exhibetur Emeticum et aliis remediis brevi sanatio sequitur.

4° *P. Milleman*, æt. 23 annorum, ab octiduo tertiana ab incusso terrore orta laborans, quinies frustra sumit remedium hoc: Cortex prima vice triumphat.

5° *L. Wambeke*, æt. 57 annorum, a 15 diebus, tertianâ recidivâ conflictatus, quater sumit Emulsionem sine ulla diminutione febris, quæ Cortice repente deletur.

6° *D. Lekhaute*, æt. 18 ann., temperamenti lymphatico-sang., a 15 diebus febre tertiana, tertio recidiva, laboranti præscribitur ter Emulsio, ast frustra, febris Cortice tolli debuit.

7° *J. Eeckhoute*, æt. 28 ann., a 13 diebus recidiva febris duplicis tertianæ laborans, bis sumit Emulsionem, plane in vanum. Cortice mox sanatur.

8° *M. Friquet*, æt 35 ann., febre quartana paludosa a 16 hebdomadibus laborans, quater in vanum sumit Emulsionem; Cortex eam vincit.

9° *J. Klich*, æt. 51 ann., temperamenti lymphatici, a 4 hebdomadibus quartana recidiva laborans, ter in vanum utitur Emulsione, Cortex vero prima vice febrem tollit.

10° *M. Graine*, æt. 17 ann., in quartana a 3 hebdomadibus recidiva, quater frustra sumit remedium nostrum; tum sponte abit febris non revertens.

11 ° *J. Bail*, superius memoratus in recidiva duplicis quartanæ, bis sine fructu sumit remedium hoc, sed Cortex Peruv. ruber illam illico necat.

Itaque in toto his 3 ultimis mensibus in nosocomiis militari et civico simul hoc solo, sine additis, dato remedio sanati fuerunt 25 febricitantes, et 17 alii eodem modo tractati fuerunt minus felices.

Ex 20 tertiana, quartana et irregulari laborantibus et simul cum Emulsione extractis amaris &c. usis, in nosodochio militari 17 convaluêre et tres dumtaxat minus; ita ut pateat hoc additamentum egregiæ fuisse utilitatis.

3° PAPAVER, *somniferum. LINN.* Vid. Art. AMYGDALUS, pag. 10 seq.

Opium nostras ex hujus plantæ capitibus ac caulibus sauciatis, vel extractum ex iis paratum, Opio exotico æqui-imo prævalere sat superque a *Quercitano* et *Schrodero (m)*, ab *Erhart (n)*, *Guettard (o)*, *Buchan (p)*, *Burtin (q)*, *Wauters (r)* &c. probatum suppono, modo detur majori dosi, velut suo loco dicetur.

Supposita nunc substitutione Opii nostratis in locum exotici, juvabit de substitutione opii in locum Corticis Peruviani hic quoque sermonem habere. Itaque, spastica febrium intermittentium natura, earum, secundum plures neotericorum, a causis debilitantibus deductio, nec non crisis harum ordinaria per sudorem, facile ad Opium tentandum invitare poterant: et revera eventus felices plurimi horumce argumentorum valorem pluribus in casibus confirmârunt; in tantum ea certa opinabantur

(m) J. SCHRODERI, Pharm. med. chym. Part. IV, p. 116.
(n) Æconom. Pflantzen-Hist. I Band / Seite 36 seq.
(o) *Mém. sur les sciences et arts. p.* 113.
(p) *Méd. domest. T. V, p.* 381.
(q) *Mém. couron. p.* 118 *seq.*
(r) Diss. botanico-med. p. 44 seqq.

præfervidi quidam Browniani, ut audacter hanc proderent sententiam: *Certes s'il y a un spécifique contre les fièvres intermittentes, c'est l'Opium.* Sed moderamine opus est! Certum est venerabiles Veteres jam sudorem ante paroxysmum movendo et sat diu intertinendo febres sæpe feliciter sanavisse: *Aetius*, *Hippocrates*, *Celsus*, *Sydenhamus*, *Ettmullerus*, *Boerhaavius* id practitarunt, pariter *Horstius*, *Wedelius*, *Freindius* &c., quos citat doctus sane et modestus *Tralles*, Opium fauste, sed multa cautione, exhibuerunt. " Bene „ vero atque iterum iterumque hic observari volo ait „ hic Auctor (*s*), Experientissimum virum (*Boerhaavium*) hæc talia non nisi sensim et aliquot horis „ ante paroxysmum absumi voluisse, diluentiumque et „ attenuantium magnæ vi suppetias amicas Opio ferendas commisisse; doctissimumque ejus commentatorem adjecisse cautiones, Opium non tanta copia „ præscribendum esse ut narcosim faciat, sed saltem „ ut spirituum turbas pacare possit; atque omnia hæc „ ad frigus præcavendum non ad impugnandum, saltem usurpanda; si nihilominus illud obstinata febre „ accedat, statim seponi debere, cum stimulantia omnia et calefacientia tum nequaquam conveniant."

Jam ad experientiam:

Galenus laudat adversus intermittentes Theriacam, et præsidio hoc se multos a morbo vindicâsse dicit (*t*). " Ego in praxi propria (loquitur *Trallesius*) non semel Opiatis remediis Diascordio Fracast. et Theriaca „ Veneta celeb. nostrum de *Helwich* imitatus, qui ita „ procedere quandoque in febribus solebat, mediocri „ dosi aliquot horis ante statum frigus, superingestis „ lignorum decoctis, sustuli intermittentes, tertianas

(*s*) Usus Opii salubris et noxius. Vratislaviæ, Sect. II, p. 67.
(*t*) De Theriaca ad Pisonem, Cap. 26.

„ præcipue, quarum paroxysmi breviores erant, neque „ æstu insigni aut capitis dolore graviore stipaban- „ tur......"

Riverius quoque ad Opium qua sudoriferum aliquando recurrebat: " Vulgo exhibetur (infit) Theriaca ad „ drachmam unam cum Vino ante accessionem, tri- „ bus vicibus repetendo"; et *Verandæus* præceptor ejus remedium hoc specifico habebat. *Lind* semihorio post caloris initium Opiatum exhibendo aliquot centenis auxilio fuit *(v)*. *Berreyat* *Laud. liq. Sydenh.* in aliquot unciis infusi *Centaurii min.*, una circiter hora ante febris accessionem propinabat, et quidem infantibus 3, 4, 5 ann. v., vj., viij. guttas; infantibus 10 vel 12 ann., x. aut xij. guttas; adultis autem xviij. ad xxx.: sicque valde raro repetitionis necessitas adfuit *(u)*. *Pringle*, *Houlston* (*w*), *J. van Breda* Medicus Goudensis (*x*) &c. hic etiam Opii patroni sunt. *Weikard* ita fatur *(y)*: " Ex multis jam annis consului meis febricitantibus vinum, carnemque..... Ante paroxysmum simul ac frigus appropinquans sentiebant, præbebam ipsis xx. guttas *Laudani liquidi*, et ut lectum peterent suadebam. Raro ultra 2 doses necessariæ erant ad febrem tollendam, modo ægri aliunde alimento et potu suppetiis ferendis erant.

Loquamur nunc speciatim:

D. *Bortlett* (*z*) duos febricitantes *Opii* adjutorio, cui paucum *Zinziberis* et *aquæ Menthæ piperit.* addebat, persanavit. Prior, adolescens 20 annorum, debilis constitutionis, laborabat quotidianâ paludosâ. Cum Cortex debite administratus nihil boni efficeret, dedit hic medicus hora ante paroxysmum xxxv. guttas *Tincturæ Opii*

(*v*) Diseases in hot climates. p. 316 seq.
(*u*) *Mém. présentés à l'Acad. R. de Scienc.* 1755. *T. II*, *p.* 254 *seq.*
(*w*) *Observations on poisons &c. London* 1784.
(*x*) De Opio titulo febrifugi adhibendo.
(*y*) Medizinischer Rahtgeber. IV B. p. 325 seq.
(*z*) *Medical and physical Journal. Vol. XII*, *p.* 5.

cum *Zinziberis* drach. j. ex *Aq. menth. piperit.* hauriendas. Paroxysmus sequens brevior et mitior erat. Postridie repetebatur idem remedium addendo v. guttas *Tincturæ Opii*, et hodiernus accessus vix sensibilis erat. Die tertia eadem cura instituebatur et accessio, protinus remanebat nec deinceps apparuit.

Ægrotus alter, vir 23 annor., qui contra febrem qua laborabat tertianam, modo 14 dies Kinam frustra sumpserat, adhibuit demum prædictum remedium, eodem cum eventu, et quidem doses duæ hic sufficiebant. Idem fere bis successit D.no *De la Guérene* (*a*).

D. *Girard* (*b*) testatur se sæpe adhibuisse remedium *antipyreticum raro fallens Boerhaavii* cum felici eventu, et eundem successum se vidisse ex usu *Syrupi diacodii*, dati simpliciter in aliqua aqua distilata. Dein sequentem adfert observationem.

Mense Prairial anni XII, D. *Savigny* corripiebatur febre tertiana; Emeticum, Purgantia, Extractum Kinæ &c. ipsum sanitati restituebant. Cùm posthac mense elapso in via per duas horas imbre suffunderetur, rursus simili prehendebatur tertiana. Cortice uti renuebat, unde præscribebatur hæc Mixtura: ℞. *Syr. diacodii* (et non *Syr. cort. aurant.* (*c*)) unc. j. *Aq. cĩõĩ hord.*, *Lilior.*, *Tiliæ* ä unc. ij. M. Die paroxysmi, qui debebat ordiri secundâ pomeridiana, æger manebat in lecto, et hora octava matutina incipiebat sumere partitis vicibus mixturam suam, sic ut hora prima post meridiem caperet ultimam dosin. Febris vix sensibilis erat. Postridie exactum regimen observabat et tertia die denuo eodem modo sumit suam mixturam. Horâ 10ma matutina cutis mador superveniebat qui quinque horas duravit absque febre tamen. Dein convalescentia aut potius valetudo completa fuit.

(*a*) *Mém. de la Soc. R. de méd de Paris*, 1786. *p.* 72 *seqq.*

(*b*) *Annales de la Soc. de méd. prat. de Montpellier. Tom. VIII*, *p.* 36 *seqq.*

(*c*) Secus nihil probaret.

Eadem prorsus acciderunt duobus post mensibus: recidivans iterum ob susceptum frigus febris, eadem methodo tollebatur. Sic etiam tres tertianæ et una quotidiana protinus sanabantur datis a *Deslonscamps* xxx. LX. guttis *Tincturæ Opii Gallici* duabus horis ante paroxysmum *(d)*.

Itaque loco *Opii Orientalis* adhiberi potest *nostras*. Æquivaleret hic forsan *Extractum Hyoscyami*, cujus semen jam ipse HIPPOCRATES *(e)* ad quartanarum curationem commendavit. Sed

Ne perdam experientiæ filum!

Uxor D. *De Graet*, vinopolæ, annos nata circiter 55, temperamenti atrabil., plurimæ prolis mater, cui anno ultime elapso tæniam expulseram (de qua Art. de Musco Corallino), mense Januario hujus anni me accersiri jubet, conquerens ex multis jam septimanis de intolerabili cardialgia, regulariter quotidie hora prima pomeridiana ipsam invadente; cætera videbatur sana. Temperamentum ejus et ejectus antehac hospes primo intuitu aliquam mihi movebant hæsitationem; verum ob regularem recursum et horripilationes in doloris ingressu, utut leves, febrem hic latere intermittentem rebar, quamvis nec pulsus acceleratus nec sudor sub finem accessûs sese manifestabant. Præscripsi itaque Corticem peruvianum et revera subsequens paroxysmus vix sensibilis, et continuato remedio, pro 6 vel 7 diebus nullus fuit. Rediit postmodum non minori cum vehementia quam primis vicibus. Iterum aliquot hebdomadibus malum invaluerat et jam familiæ letale videbatur, antequam auxilium ægra invocare volebat. Tum loco Corticis *Laudanum liquidum Sydenhami* ad scrup. ij. cum pauco *Aq. Cerasor.* præscribebam, ut exhiberetur scrup. j. medio 12^{mæ}, guttæ x. 12ma, et reliquum medio primæ. Hoc pacto nullus plane dolor eam adorsus

---

(d) *Bulletin de la Faculté de méd. de Paris*, 1809. *N° IV*, *p.* 61.
(e) Lib. II de morbis. §. 39.

est, et cùm hara 2da ipsam inviserem, jam domesticis suis negotiis sedule occupatam inveniebam quæ solebat hacce horâ in lecto quasi moribunda decumbere. Plures adhuc dies institimus hac methodo et omnis dolor sublatus mansit, etiamsi jam omni medicatione supersederetur. Sed paucis post diebus vehementissimo animi pathemate commota mulier, extemplo morbus denuo invasit, incipiens nunc medio decimæ matutinæ, vix sensibili cum rigore, at finiens notabili cum sudore. Iterum data *Laudani liq. Sydenh.* drach. j. ante paroxysmum ut antea, prima vice vix dolor persentiebatur; postridie datis scrup. iv., nullus; neque tanta Opii dosis, cui assueverat jam ægra, conspicuum soporem produxit. Perrexi per tres dies eadem norma, et omnis ægritudo evanuit protinus.

Derelicto iterum 3 vel 4 diebus omni medicamine renascebatur denuo affectus minori gradu. Tum reflectens systema venæ portarum aliquatenus infarctum esse, hirudines ano applicari jussi, sicque ægra illico percurata fuit, absque ulteriori medicatione.

En observata Experientissimi Collegæ mei D. *Hulin*, Practici Gandavensis :

1° *Van Gelderen*, teneræ et debilis constitutionis, 20ma Augusti 1803 tertiana corripiebatur; nullum symptoma evacuantia indicabat, et præscribebatur duabus horis ante quartum paroxysmum sequens remedium ℞. *Laud. liq. Sydenh.* scrup. ij. *Aq. cītī hord.*, vel *Meliss.* unc. ij. ut omni horæ quadrante sumpta fuisset $\frac{1}{8}$. Initio paroxysmi nullum habebatur frigus, calor erat naturalis, sed pulsus erat acceleratus, ægritudo universalis et pressionis sensus ad oculos. Vasculum caffeti hæc mitigabat. Præscribebantur nunc sequentes pulveres : ℞. *Pulv. rad. Valerian. sylv.*, *Flor. Camom. rom.*, *Sal. Ammom.* ā drach. ij. F. pulv. n° XII. Dabatur omni bihorio unus. Ante tempus quo

sequens paroxysmus ingruere debuisset iterum porrigebatur Mixtura Opiata eodem modo sumenda, sed is non apparuit. Continuabatur usus pulverum, verum horis magis remotis, et diæta servabatur eupepta, quantum possibile accidebat.

2° Filia *D. Smet*, necdum menstruis subjecta, a 6 mensibus quartanâ laborans, medicum consulit mense Septembri 1803. Primùm aliqua remedia in vanum tentata fuerunt, dein febris fuit sibi relicta: nunc vero abdomine et pedibus intumescentibus, hydrope se manifestante, appetitu et viribus fatiscentibus, paroxysmis interim ingravescentibus, ad remedia redire cogebatur. Datur igitur sequens Mixtura: ℞. *Laud. liq. Sydenh.* scrup. ij. *Aq. cĩõĩ* vel *Meliss.* unc. iv. *Oxymel. scill.*, *Syr. cort. citr.* ā unc. j. et semis. M. ut sumatur cochlear omni semihorio, incipiendo summo mane die insultûs, qui semper meridie incipere solebat. Extra paroxysmum sumebatur quantitas Nucis Moschatæ sexies in die, sequentis Electuarii: ℞. *Pulv. rad. Valerian. sylv.*, *Gentian.*, *Flor. Camom. rom.* ā unc. sem. *Sal. Ammon.* drach. ij. *Opii* gr. iv. *Oxym. scillit.* q. s. F. Elect. Diæta erat eupepta.

Paroxysmus primus qui horâ duodecima solebat ingrui, infinito minor erat, diuresis continuans in plures dies, omnem dissipabat tumorem &c.

Paroxysmus sequens, cui usus Opii, ut priori vice, fuerat præmissus, nullatenus se sensibilem exhibuit: imo ægra post meridiem eadem die in urbem venit (habitabat enim ruri) narrans se appetitu gaudere et omnino bene se habere.

His non obstantibus adhuc bis sumpsit Mixturam Opiatam diebus quibus accessio vigere solebat, et usus Electuarii Roborantis adhuc duas septimanas protrahebatur.

3° Operarius diu frigore humido expositus, 16 Ja-

nuarii 1805 febre tertiana corripitur. Sub quarto paroxysmo examinat eum primo medicus : nihil exigebat evacuantia, expectatur 5tus insultus nil agendo, ut certius de febris ordine constaret : observatur hic hora una anteponere ; et præcedentes itidem fecerant. Præscribitur nunc Mixtura nostra prædicta methodo sumenda, jungiturque pulverum usus. Tempore quo 6tus paroxysmus incipere debuisset, nullum sentitur frigus, sed totum corpus agitatum, et pulsus parum acceleratus observantur. Pergitur usu pulverum, et ante paroxysmum 7mum mixtura ex drachma dimidia *Laud. liquidi Syd.* et vehiculo appropriato, ùt solet, adhibetur : ita arcebatur accessus, nec rediit postmodum.

4° Cæmentarius ætatis 50 annor., robustæ constitutionis, mense Martio 1804 frigori matutino diu expositus prout et aliis vernalibus atmosphæræ nostræ vicissitudinibus, prehenditur febre quotidianâ, cujus paroxysmi constanter hora duodecima meridiana ordiebantur. Dato ante omnia emetico quod indicabatur, præscribitur ante 4tum paroxysmum Mixtura Opiata ùt supra ; sed cum æger tantum $\frac{1}{4}$ istius sumpsisset, paroxysmus nihilo præcedentibus minor rediit. Postridie repetebatur Mixtura, quam nunc exacte ingerebat, ac paroxysmus nullus supervenit, sed aliqua dumtaxat pulsus acceleratio et faciei rubedo, sine calore extraordinario. Injungebatur continuatio usûs pulverum, et repetitio Mixturæ pro die postera. Hæc tantum dimidia absumitur ; nihilominus paroxysmus nullus se monstrat nec revertitur dein. Pergitur adhuc aliquamdiu pulveribus.

5° Operarius a 2 annis febre intermittente affectus, venit mense Martio 1805 ad harum observationum auctorem, auxilium implorans.

Febris quæ primum fuerat tertiana nunc erat duplex quartana. Nullæ in abdomine obstructiones, et præter

magnam debilitatem, constitutio ejus sat bona reperiebatur. Itaque ℞. *Opii* gr. iv. *Pulv. rad. Valerian. sylv.* drach. j. F. pulv. n° VIII. ut daretur unus duabus horis ante paroxysmum et deinde unus omni horæ quadrante; paroxysmus sequens æque gravis apparebat ac anteriores, et superveniebat fortis diarrhœa. Postridie nil molitur medicus et accessio ùt solebat, locum habet. Supersedetur adhuc remediis tertia die sive die liberâ; quarta porrigebatur Mixtura Opiata ordinaria, solito more: frigus febrile sat vivum; diarrhœa vero cessaverat. Postridie febris datâ rursus Mixtura nullatenus prodibat. Æger jam se plane sanatum reputans ad medicum haud accedebat, manserat tamen adhuc quartana simplex. Post octiduum ægroto redeunti dabantur *Laud liq. Syd.* gutt. L. *Aq. menth. pp.* unc. iij. ordinario methodo sumendæ. Nullum jam febris indicium posthac apparuit. Insistebatur adhuc pulveribus, quarta quaque hora sumendis. Die accessûs subsequentis, sive die quo accessus vigere solebat, capiebat æger adhuc medietatem mixturæ suæ, et dein in pulverum usu duas septimanas perseverabat.

6° *Watté*, textor tibialium, constitutionis delicatulæ et laxæ, certo die, iterato in via imbre et sudore manans et aliunde longo itinere fatigatus, horripilationibus, tussi, dolore capitis et pectoris obruitur. Domum redux, medicamen purgans sumit. Post octiduum, febris assumit quotidianæ intermittentis valde regularis typum. Jam faciei pallor, lingua albida, inappetentia, dolores rheumatici colli et dorsi, nec non dolor fixus in latere, cum tussi frequenti et respiratione difficili; quæ symptomata notabiliter exacerbabantur simul ac febris paroxysmus ingruebat, 4ta nempe pomeridianâ. 22da Augusti ℞. *Laud. liq. Syd.* scrup. ij. *Aq. menth. pp.* unc. iij. M. sumatur modo ordinario. Tempore accessionis: leviusculæ modo horripillationes sine ulla aliorum symptomatum exasperatione. – 23tia omnia paca-

tiora: ℞. Pulveres quales in præcedentibus casibus, et Mixtura Opiata repetatur. Hoc die insultus nullus. 24ta evanuerunt dolores, respiratio libera, tussis rara. 25ta convalescentia *(l)*.

7° Filia *Bracke*, duodennis, a pluribus mensibus tertianâ, dein vero in quartanam mutata, laborans, duas modo recidivas passa et nulla præbens viscerum abdominalium obstructorum signa, sed pallida, macilenta, cum anorexia, pulsu debili, parvo, frequenti etiam extra paroxysmum, sumit mense Junio Mixturam Opiatam, et pulveres solitos. Verumtamen cùm tantum medietatem mixturæ sumpsisset, et pulveres quoque neglexisset, nil lucrata erat quoad sequentem accessionem. 2da vice sumebat mixturam debito ritu; jam vehementer somnolenta erat, sic ut mater eam vix expergefacere quiret; sed paroxysmus febrilis jugulatus erat. Repetebatur adhuc mixtura die accessûs, et pulveribus eo usque insistebatur. Sed brevi postea ægra pulveres rursus rejicit et post duas hebdomadas iterum in eamdem febrem relabitur.

Recurritur denuo ad Opium, sed licet frigus non parum infringeretur, ulterius nil auxilii adferebat, quamvis jam rite sumeretur; opus fuit Cortice cui morbus mox cedebat.

In nosocomio civili:

8° *Thomas Vyt*, æt. 63 ann., temperamenti lymphatico-sang., a 15 diebus quotidianâ, cum diarrhœa et habituali dyspnœa laborans, quatuor consecutive diebus sumpsit quotidie grana ij. Opii puri. A primo die nempe 11ma Julii 1808, paroxysmus remansit. Nihil sumpsit ægrotus præter Opium nec se contra recidivam munivit.

(l) Anno exin elapso æger hic phthisicus obiit.

Quarto Augusti revertitur in nosocomium, tum a 5 diebus recidivâ febre quotidianâ afflictus. Datur ab initio Cortex, cum nihil illum contraindicare videatur; iterato pluries ejus usu opus fuit. Tandem 19na hujus mensis nosocomio valedixit a 4 diebus febre liberatus.

9° *J. Bekens*, æt. 21 ann., constitutionis lymph.-sang., quotidianâ affectus vernali, purgato prius ventre, utitur *Laud. liq. Syd.* scrup. j., et postridie guttis xxv., semper ante paroxysmum; sed hic augebatur. Dein aufertur Cortice et æger 30 Julii 1808 nosocomium derelinquit sanus.

Redit tertia Augusti febre jam tertianâ vixatus. Tentatur iterum *Opium* ùt ante, sed æque inutiliter. Cortice rursus sanatur.

Celeb. *Störck* (m) tres classes distinguit inter eos quos Opio tractavit: " Inter multos ægros quibus Opium adhibuit, 1°, duos modo post profundum somnum, a febre fuisse liberatos affirmat; dein vero eos mansisse debiles, stupidos, et appetitu orbos; 2°, in unico ægro paroxysmos solum mitigasse; 3°, reliquis omnibus temulentiam induxisse, paroxysmos prolongasse et alvum constipasse."

Non quadrat succedaneum hoc cum febribus quarum paroxysmus non incidit in determinatam horam, cum alioquin remedium vel citius vel serius justo administrari et sic effectu carere posset. Priori enim casu desinit sufficienti vi operari antequam inimicus quocum dimicare debebat, advenit; posteriori casu, abicem injicit in via qua hostis jam inde transivit. Ejusmodi casum obvium habuit auctor septem priorum observationum: cum febris nimis irregularis esset, opportunum remedii administrandi tempus invenire non poterat, et

(m) Bienn. med. p. 55.

quum modo bis in eo deligendo deceptus fuerat, ad largam Corticis dosim se convertit.

Adhuc ter hanc curam deserere debuit ob debilitatem et teneritudinem subjectorum, utpote in quibus iij. vel iv. guttæ *Laudani* stuporem, somnolentiam, sitim &c. parerent. Id contigit in infante trium et in alio quinque annorum, nec non in muliere septuagenaria debilissima.

Præter hos quatuor casus minus felices, Auctor adhuc quatuor alios in sua praxi numerat in quibus Opium expectationem decepit. Nil boni profecto efficiet Opium ubi febris intermittens cum hectica complicata est; nihil in viscerum abdom. obstructionibus; nihil in febribus nimis protractis, vel vix intervallum lucidum offerentibus. Cæterum quot non occurere possunt aliæ circumstantiæ a Celeb. Viris *Torti*, *Werlhof*, *Lautter*, *Alibert* et a nobis visæ, quæ nos ob Opio sæpe deterrent. Sane his non attentis cautelis, ægros quandoque in comata, in deliria, in affectiones viscerum inflammatorias, in febres continuas acutas detrudi nihil mirum. *(n)*.

4° SALIX *alba. LINN.*
Salix vulgaris alba arborescens. BAUH. pin. 473.
Salix. DOD. pempt. 1318.
Gallice, *Saule*, *Saule vulgaire*, ou *grande Saule.*
Belgice, *Wilgen-boom.*

Adjiciunt quamplurimi Auctores et duas alias Salicis species, nempe:

Salicis fragilis. LINN.
et
Salicis pentandræ. LINN.

Plantantur Salices copiossime juxta vias publicas et in sylvis, in varios usus œconomicos.

(*n*) Vid. HOFFMAN, Med. syst. T. IV, Part. I, Cap. de tertiana, Obs. IX., item *Medical essays. T. I, Cap.* 31, *p.* 296 *&c.*

Plurimum virtutis tribuitur ordinarie Salici albæ, sed insignis inter has Salices convenientia, botanicorum judicio de affinium stirpium virtute æquali, haud parum favet.

Jam ante annum 1694 in Austria vetulis euphoriston contra febres intermittentes, infusio 77 foliorum Salicis, ante paroxysmum haurienda, solenne erat *(o)*. Postmodum majorem vim febrifugam Corticibus inesse detectum fuit.

Correx colligendus est mense Aprilis et Maii ex arboribus junioribus in loco humido ast non in palude habitantibus, et in umbra aëre perflata siccandus *(p)*.

Cortex Salicis præsertim juniorum ramorum, biennalium, triennalium, quadriennalium, crassitie unius ad quatuor pollices, insignem analogiam alit cum Cortice Peruviano: sapor utrique amarus leviter aromaticus et adstringens observatur, uterque cum Vitriolo martis atramentum componit; uterque extracta præbet similia tum aqua tum spiritu vini facta.

In universum cortex junioris plantæ magis amarus atque balsamicus est, plantæ veterioris cortex vero magis adstringens observatur; et per experimenta Celeb. *Günz (q)* patet, Corticem Salicis albæ plus resinosarum terrearumque particularum possidere; Salicis fragilis plus gummosarum partium et majorem amaritiem. Deinde Cel. *Bouillon-Lagrange* exactiore analysi chemica analogiam demonstravit quæ inter producta Corticis Salicis albæ et Corticis Peruviani existit *(r)*.

D. *Edm. Stone (s)* scribebat præsidi Soc. Reg. Lond. in Literis lectis 2 Junii 1763, primo quomodo

---

(o) ETTNER, Entlarfsten Marktschreijer. Francofurti, 1694. p. 970.
(p) Disp. Lipp. ibid. P. 93.
(q) Dissert. I. de Cortice Salicis. Lipsiæ, 1772. p. 26.
(r) *Journ. génér. de méd. T. XXIII, p.* 170.
(s) *Abrégé des Transact. philos. Paris*, 1789. *Part. VIII, T. I, pp.* 447 *seq.*

ipsi in mentem venisset de experiunda virtute febrifuga Corticis Salicis; dein pergit dicendo se eum pulverisatum dedisse in febre intermittente primum ad scrup j. omni quadrihorio, tempore apyrexiæ, tandem auctiore dosi, et febrem disparuisse intra paucos dies. Eodem successu inquit eum adhibebam in pluribus aliis casibus, et comperiebam dosim accommodatiorem esse drachmæ unius omni quarta hora inter paroxysmos.

Ex 5 jam annis infit *(t)*, remidium hoc plusquam 50 personis administravi semper eodem successu. Exceptas cupit quartanas autumnales valde inveteratas. Sed tum addebat illi $\frac{1}{5}$ Corticis Peruviani, et malum haud resistebat ulterius.

Clossius ea firmat : *Nova variolis medendi method.* 1766.

Cel. *Burtin* (*u*) profitetur, se solo Cortice Salicis albæ quamplurimos ægros sanavisse, eosque nonnunquam qui Corticis Peruviani efficaciam illuserant; inter alios nobilem matronam a febre tertiana liberavit tribus dumtaxat hujus Corticis drachmis, ubi tamen prius tres boni Corticis Peruviani uncias, bidui spatio frustra sumpserat. In aliis occasionibus suadet Auctor ille, ut exhibeatur dosis permulto major, nempe in substantia unciæ duæ et in decocto unciæ quatuor intra nycthemerum. *J. A. Murray* (*v*) scrupulum unum vel duos quarta quavis hora inter paroxysmos ingerendos censet.

Postmodum D. *Burtin* Salicis laudes nonnihil limitat, dicendo, se aliquibus persanandis non fuisse, nisi Salici jungeret Kinam vel folia Amygdali Persicæ; se non spondere de effectu in quartanis, neque eumdem se sperare effectum apud locupletiores homines cibo euchymo aromatico, potuique fortiori assuetos et animi pathematibus jactatos.

(*t*) Phil. Transact. Vol. LIII, p. 195.
(*u*) *Mém. couronn. p.* 162.
(*v*) Apparat. med. Vol. I, p. 67.

Pauca quæ Cel. *Cullen (w)* hoc cortice fecit pericula in febribus intermittentibus, probarunt infit, ejus efficaciam. Usus est Cortice Salicis pentandræ, sumpto ex ramis diametri unius tertiæ pollicis et a 4 vel 5 annis collecto. Nullum Kinæ succedaneum magis congruum novit.

Clossius pulvere Cort. Salic. alb. 12 homines laborantes quotidianâ aut tertianâ sanavit (*x*), vomitum pituitosum periodicum pulvere, ad drachmas sex, die intercalari dato, compescuit, et contra lumbricos et debilitatem ventriculi eum præstantem invenit. Narrat Cel. *Günz* casum unum curationis febris intermittentis (*y*).

Lectu omnino digna sunt exempla vis febrifugæ hujus Corticis, quæ, interprete Cel. *Koning*, Celeberrimi *Van Geuns* et *Forsten* proponunt; ex his apparet non leviores modo et recentes febres, sed et pertinaciores et inveteratas eo fuisse devictas, atque in hisce vel extracti in mixturis, vel pulveris, vel decocti usum factum esse. Decoctio pro quartana inveterata et pertinaci fiebat ex Corticis unciis duabus cum s. q. aquæ, ad colaturam sedecim unciarum, addita uncia et dimidia *Syrupi* 5 *rad. aperient.*

Cortex hic raro Celeb.mos *Coste* et *Willemet* in febrium intermittentium cura fefellit, præcipue ubi vomitorium et purgans præmittebantur. Quaterni ægri Esula purgati, ipsorum consilio quartum inter et quintum paroxysmum, dicti Corticis drachmas sex in Coffææ decocto singuli assumpsêre. Paroxysmus quintus duos ex iis præteriit, dum etiam cæteros duos multo minori prehendit ferocia. Posteriores hi sequente apyrexia rursum dimidiam unciam sumpserunt; et ita om-

(*w*) *Traité de mat. méd. Paris*, 1790. *T. II, p.* 121.

(*x*) Vid. HALLERUM, Hist. stirp. indig. Helvetiæ. T. III, p. 196. Item CLOSSIUM, Ipsum Nov' Variol. med. math. p. 128.

(*y*) Diss. de Cort. Salicis albæ, ejusque in med. usu. Harderovici, 1778. p. 53.

nes quatuor radicalem curationem absque recidiva aut malo accidente quovis reportaverunt.

D. *Bertrand* quoque curam tertianæ biliosæ et subsequæ adynamiæ obtinuit usu Corticis Salicis albæ; sed notandum et alia remedia huic adjuncta fuisse *(z)*. *Tode* et *Nielsen (a)* etiam habent, quod nequidem magna dosi datus Cortex Salicis albæ febrem superaverit, nisi Cortex Peruvianus additus fuerit, qui alias solus sufficit. Sed notante *Murray (b)*, specialis causa hic subesse debuit. *Bergius* ex usu Corticis Salicis pentaudræ nullum successum habuit in pluribus tentaminibus quæ in febribus intermittentibus fecit.

Dicam nunc quæ nos vidimus

In nosocomio nostro Civico-militari:

Mensibus Augusto et Septembri 1808.

Prompte sanabantur sequentes:

1° *De Jaeger*, æt. 26 ann., laborans a 29 diebus quotidianâ, quæ nullis remediis obediebat, sumebat tandem unciam *Cort. Salicis alb.* cum *Aq. menth. pp.* unc. viij. partitis vicibus, ut fieri solet: et ecce insultus remanet, æger completam obtinet victoriam. Sed ad recidivam arcendam adhuc sumpsit duas uncias ejusdem remedii.

2° *Van de Voorde*, æt. 24 ann., in febre quotidiana a 14 diebus ordita, eadem prorsus gaudet felicitate, postquam etiam alia remedia frustra adhibuit.

(z) *Recueil périodique de la Société de Médecine. T. XXXI, pag. 274 seqq.*
(a) Diss. de mat. med. pract. p. 56.
(b) Apparat. med. T. I, p. 69.

3° *Schwinds*, a 14 diebss quotidianam patiens, bis pulveres sive duas uncias Corticis Salicis sumendo perfecte sanescit.

4° *Wolf*, etiam quotidianam a 5 diebus; semel pulveres sumendo.

5° *Stampf*, quotidianam a 31 diebus; eodem modo sanatur ac *Wolf.*

6° *Hendrik*, quotidianam a 5 diebus; bis pulveres sumendo.

7° *Kloeken*, a 37 diebus quotidianam; itidem bis pulveres sumendo.

8° *Van de Linde*, a 10 diebus quotidianam; semel eos sumendo.

9° *Heurier*, a 7 diebus quotid.; semel sumendo pulveres.

10° *Osterman*, a 14 diebus quotid.; semel sumendo pulveres.

11° *Van Rossem*, a 44 diebus quotid.; semel pulveres sumendo.

12° *Croisie*, a 22 diebus quotid.; semel pulveres sumendo.

13° *Bawer*, a 34 diebus, quotid.; bis pulveres sumendo.

14° *Brenner*, a 10 diebus, tertianam passus, pariter semel pulveres sumendo consanescit.

15° *Picoin*, a 12 diebus tertianam passus, semel pulveres sumendo.

16° *Hassem*, a 6 diebus tertianam, semel sumendo pulveres.

17° *Sornain*, a 26 diebus, duplicem tertianam, duos vel tres dies sumendo pulveres, ùt omnes prædicti, sanus evadit.

In nosocomio Civico:

18° *Cath. M.*, æt. 21 ann., temperamenti sanguinei, postquam 5 dies in nosocomio fuerat angina catarrhali affecta et jam hac liberata erat, corripiebatur calendas Septembris ultimas tertianâ regulari, quæ cùm per dies 10 duraverat eodem semper vigore, unica exhibitione unciæ unius Corticis Salicis albæ protinus jugulatur; tamen quarto post hanc perfectam convalescentiam die, præscribitur uncia altera præcavendæ recidivæ causa.

19° *F. Verschueren*, æt. 48 ann., temperamenti sang.-iymph., a 24 diebus cum quotidiana luctans et pedes œdematosos gerens, semel sumendo Pulveres Cort. Salicis liberatur protinus.

20° *L. V. Cassel*, æt. 35 ann., ab octiduo tertianâ recidivâ laborans, quater sumpsit pulveres; prima vice febris minor erat, et post 2^dam^ vicem non amplius redivit.

Qui sanati fûere, ast minus prompte, in nosodochio Militari:

1° *Fasel*, a 12 diebus, quotidianâ confflictatus, quater pulveres sumendo sanitati redditur.

2° *Murens*, ab 8 diebus, quotidianâ; sexies sumendo pulveres.

3° *Polk*, a 19 diebus, quotidianâ; quinquies pulveres sumendo.

4° *Van de Saet*, a 4 diebus, quotid.; quater sumendo pulveres.

5° *Lemaire*, a 55 diebus; ter sumendo pulveres.

6° *De Vos*, ab 18 diebus, quotid.; quinies sumendo pulveres.

7° *Vander Schaeven*, a 7 diebus, quotid.; ter sumendo pulveres valetudinem recuperat.

8° *Coligne*, a 30 diebus, tertianâ; quater sumendo pulveres.

9° *Pecheur*, a 9 diebus, tertianâ; quinies sumendo pulveres.

10° *Sermein*, a 4 diebus, tertianâ; quater sumendo pulveres.

11° *Essenman*, a 10 diebus, tertianâ; ter sumendo pulveres.

12° *Treukler*, a 32 diebus, tertianâ; per quatuor dies sumpsit pulveres, sed non exacte, tamen 5ta die sanus sive sine febre est et manet.

Qui aliquod modo solamen obtinuerunt:

1° *Vercommen*, a 43 diebus, quotidiana laboranti,

ad tertiam pulverum sumptionem febris minor observabatur, talis manebat, sed non nisi Cortice peruv. auferebatur.

2° *Paul*, a 20 diebus, quotidianâ laboranti, plane idem accidit.

3° *Wytsman*, a 27 diebus tertianâ affecto prorsus idem, ad 2^{dam} repetitionem solamen, sed nil ultra.

In nosocomio Civili:

4° *Van Lanker*, æt. 22 ann., temperamenti sang., a 14 diebus, quotidianâ paludosa afflictus, ter sumpsit pulveres. Post primam sumptionem dicitur febris minor, item post secundam; sed cum post tertiam nullus fieret progressus, transitur ad Kinam.

5° *Josses*, æt. 29 ann., temperamenti biliosi, a 3 hebdomadibus quotidianâ laborans, ter quoque pulveres sumit. Secundo die dicitur febris minor, tertio dicitur adhuc minor, quarto ob eamdem ac in præcedente casu rationem, præscribitur Cortex Peruvianus.

6° *Aug. V.*, æt. 17 ann., temperamenti sang.-lymph., a 5 diebus quotidianâ afflictus, tres dies consecutive pulveres sumit; sumptis primis, postridie nulla febris sed tertia die leviuscula se exhibet, et quarto die observatur aucta: unde datur Kina.

7° *Joan O.*, æt. 57 ann., recidiva primo tertiana nunc quotidiana, ter sumit pulveres; post primam vicem febris minor erat, post 2^{dam} febris remanebat, sed post tertiam redibat.

2° *Cathar. D. C.*, æt. 23 ann., temperamenti lymphatici, a 4 diebus quotidianâ recidivâ, bis sumit pul-

veres; post primam vicem frigus febrile minus, cum dein nil ulterius lucraretur, datur Cortex.

9° *Petrus V.*, æt. 16 ann., a 5 mensibus tertianâ paludosâ affectus, 12ma Octobris in nosocomium venit. 13^{tia} datur Salix. 15ta paroxysmus multo minor; 19na rursus increscit. Ter pulveres exhibiti fuère.

10° *Jos. van M.*, æt. 43 ann., a 3 hebdomadibus quartana vexatur, quater sumit pulveres. Post primam vicem accessio mitior; ast dein nullus in melius progressus.

Qui nullum inde solatium adepti sunt:

In nosocomio Militari:

1° *Van Quoit*, a 36 diebus, quotidianâ affectus, ter pulveres sumpsit.

2° *Henriot*, a 35 diebus, quotid., quater sumpsit pulveres

3° *Brancourt*, a 16 diebus, quotidianâ, ter.

4° *Hoffmann*, a 17 diebus, quotid., sexies valde regulariter.

In nosocomio Civili:

5° *Margareta L.*, æt. 15 ann., temperamenti sang.-lymph., a 5 diebus tertianâ recidivâ. Bis pulveres sumpsit.

6° *Judoc. V.*, æt. 35 ann., temperamenti atrabil., a 3 diebus, quotidianâ; bis pulveribus usus est.

Hi tres: *Camfyn*, *Ryts* prout *Diericx* tantum semel pulveres sumpserunt et illico transierunt ad Kinam.

Baschanerick et *Loos*, cum prior bis, et posterior semel pulveres sumpserat, febris intermittens in typhum commutata est.

Præter insignem virtutem febrifugam, aliæ adhuc sunt Cortici Salicis virtutes. Sic docente *P. Camper* (*c*) in decocto præservat contra putredinem, sed debilius decocto Corticis Peruviani, et paulo fortius decocto Corticis Fraxini. Etiam externe potens se exhibet: " In gangræna a decubitu et bubonibus gangrænosis, ,, magnæ efficaciæ esse usum externum decocti foliorum aut Corticis Salicis albæ, certo novi, ait Ce-,, leb. *Stoll* (*d*) ".

Notabilis roborandi virtus quam in fluxibus antiquis pariter ac recentioribus, passim etiam sanguine commixtis, in laxitate intestinorum, in vomitu habituali, in hæmorrhagia uteri, in laxitate hydropica exercuit, extra dubium posita est. (*e*). Balneum vero decocti Corticis in debilitate crurum apud infantes conducere, expertus est Ill. *Haller* (*f*). In hæmorrhagiis etiam *Gunzius* virtutem ejus comperit.

Nos ubique adhibuimus Corticem solius Salicis albæ.

Si specialius Corticem aliarum Salicum considerare lubet, Cortex Salicis fraxilis quæ apud Germanos etiam *Fieberweidenrinde* (Cortex Salicis antifebrilis) (*g*) vocatur, a Cel. *Gerhard* Cortici Peruviano perfecte par creditus, quod nimium, inquit *Murray* (*h*).

Celeb. *Murray* mentionem facit frusti carnis in decocto *Salicis fragilis* per 4 vel 5 hebdomades a pu-

---

(*c*) Vorlef. über das Viehsterben. p. 122.

(*d*) Rat. med. Part. III, p. 229. Edit. Parif.

(*e*) Vid. KONING, Et aliorum medicorum Harderovicensium experimenta in *Disf. cit.* inde a p. 44.

(*f*) Hist. Stirp. indig. Helvet. N° 1635.

(*g*) Dispenf. Lappiac. Part. I, p. 92.

(*h*) Apparat. med. Vol. I, p. 70. seqq.

tredine servati, œdematis a febre intermittente male curata exorti, mediante infuso frigido dispulsi; inhibitionis profluviorum serosorum sanguineorumque infusi vel extracti ope; sanationis febris lentæ, gangrænæ pedum, abscessuum insignium, vertiginis, vel pulveris vel infusi frigidi auxilio, in subsidium sumptâ contra vitia ista externa, applicatione vel injectione decocti ejusdem; juvenis manustupratione enervati duabus drachmis extracti per dimidium annum quotidie datis, valetudini restituti; abscessûs pectoris et abscessûs renum foras pus eructantium infuso perfecte sanatorum; trium juvenum a sequelis manustuprationis in genere nervoso præcipue obviis, cortice *Salicis vitellinæ* liberatorum; quam plurimorum puerorum decocto corticis *Salicis pentandræ* liberatorum a lumbricis et ascaridibus (pro qualibet libra aquæ uncia una corticis, per quadrantem horæ lente decoquenda, adhibita fuit); fæminæ uteri gangræna laborantis, et decocto hujus saturato in uterum injecto, sanatæ; febrium tandem intermittentium cortice *Salicis triandriæ* curatarum.

5° MATRICARIA, *Chamomilla. LINN.*
Chamæmelum vulgare seu *Leucanthemum Dioscoridis. BAUH. pin.* 135.
Chamæmelum vulgare. DOD. pempt. 257.
Gallice, *Camomille vulgaire.*
Belgice, *Wilde Camille bloemen.*

Planta annua in agris nostris copiosa, juxta segetem præsertim et inter trifolia, item in locis incultis et juxta vias.

" Hæc species Camomillæ, olei essentialis, in quo
" tota vis latet, paulo minorem portionem habet quam
" Camomilla hortensis, sive Romana sive Anthemis
" nobilis L. (*g*); sed recens plus dat olei (*h*). In re-

(*g*) NEUMAN, T. II, P. I, p. 535.
(*h*) FEISTI, Disp.

„ sinoso extracto et in tinctura spirituosa vires me-
„ liores sunt *(i)*; extractum aquosum iners est. Sal
„ impurus acidum continet et phlogisticum *(k)*. De-
„ coctum pariter salsum *(l)* est. .... Flores ad 20 et
„ 30 grana adversus febres tertianas *(m)*, aliquoties
„ de die exhibentur etiam ad perniciosas febres *(n)* et
„ irregulares *(o)*. Vi etiam antiseptica ad Corticem pe-
„ ruvianum accedit *(p)* et sudorem optime movet *(q)*. "
Ita *Hallerus* *(r)*.

Chamæmeli flores et folia inquit *Chomel* *(s)*, sicca et pulverisata instar Kinæ sumpta, in pulvere ad drachmam unam aut ad duplum in infuso vinoso, febrifugum exhibent jam a tempore *Dioscoridis* notum, a *Zacuto* feliciter usurpatum *(t)*, a *Riverio* commendatum *(v)* et apud Hibernos et Scotos familiare.

Morton, *(u)* unus ex primis, sincerissimis et peritissimis Corticis Peruviani patronis, se ter pulvere florum Camomillæ convenienti vehiculo et per justa intervalla dato, post frustratum Corticis Peruviani effectum febrem superasse asserit; sed ad scrupulum eorum singulum admiscebat Antimonii diaphoretici et Salis Absynthii à scrupulum semis. Operæ pretium videtur ejus citare verba: " Porro Celeb. meus Collega, is-
„ que vir integerrimus et Medicus expertissimus

(i) CARTHEUSER, Mat. med p. 113, 115 et 116. P. post p. 99.
(k) GMELIN, Act. Petrop. T. V, p. 289.
(l) NEUMAN, p. 536. et aqua HILL. Mat. med. p. 442. GEOFROI p. 301.
(m) Superasse febres, quæ Cortici resistebant FAVRAT. Thes. miscell. Laudat HEISTER Med. Germ. indig. p. 13.
(n) Cum sive addito Peruviano Cortice. VALCARENGHI Med. rational. p. 20.
(o) Cum Sale Absynthii. PRINGLE, p. 218 nov.
(p) PRINGLE, Phil. Transf. p. 496.
(q) HARRIS, De Peste p. 27.
(r) Hist. Stirp. indig. Helvet. T. I, N° 101.
(s) Ibid. T. II, p. 477.
(t) Op. Lugduni, 1649. T. I, p. 101.
(v) Op. Lugduni, 1679. p. 432.
(u) Pyretholog. Cap. VI, P. 43.

,, DD. *Elishacoyt*, sæpius sincero animo mihi asseruit, sese vires florum Chamæmeli subtilissime pulverisatorum, in vehiculo convenienti exhibitorum, atque post debita intervalla repetitorum, æque felices ac certas in hoc morbo debellando expertum fuisse, ac ipsius Corticis Peruviani. Penes auctorem fides sit. Me quod attinet, ego nusquam efficaciam hujus simplicis remedii tentando exploravi, verum eodem medicamento cum aliis commixto Filium Domini *Bernard* Jurisperiti Londinensis febre hemitritæa laborantem, quem Cortice Peruviano diu et copiose adhibito nequidem ab uno paroxysmo liberare potui, spatio bidui perfecte in sanitatem restitui.

" Nec non Dominam *Gumley* vetulam, febre tertiana decumbentem (postquam diu et ad nauseam usque vires Corticis Peruviani irritas experta esset), ope ejusdem arcani, post debita intervalla exhibiti, spatio etiam bidui sanavi. Itidemque uxorem vetulam Domini *Royston*, Bibliopolæ Regis, fere septuagenariam, postquam ad biennium febre intermittente, nunc tertiana, nunc quartana, vel hemitritæa laborasset, spatio duorum dierum eodem remedio, perfecte, et absque recidivatione curavi."

" Fateor quidem, nunquam (quod scio) in quocunque alio, febre intermittente laborante, hujus remedii periculum fecisse, quippe vix umquam (si certe meminerim) præterquam in hisce tribus ægrotantibus, antidotus illa herculea, Cortex scilicet Peruvianus, spem meam fefellit, proindeque nec licitum, nec decorum esse duxi in humano corio, experiendi gratia, ludere, et certo et experto remedio, magis incertum et minus exploratum præferre. Utcunque ejus formulam describere licet, ut ii possint, modo velint, experiri, num hoc etiam sit certum febrifugum, vel saltem num (ut mihi evenit) vires Corticis deficientes supplere queat. Formula pulveris est, quæ sequitur.

„ ℞. *Flor. Chamom. subtiliss. pulv.* scrup. j.
„ *Antimon. diaphoret.*
„ *Sal. Absinth.* ä. scrup. semis.
„ M. F. Pulvis.

" Sumendus in haustu pissetalæ vel cujuscunque Ju-
„ lapii temperati, aut in formam Boli cum Syrupo
„ Caryophill. vel in formam Pilularum cum mucil.
„ Gumm. Tragacant. redactus, sexta quaque hora per
„ biduum vel triduum repetendus."

Fr. Hoffmannus eos aliquoties die a febre vacuo ad drachmam unam sumptos, pertinaces febres compescere, quin tutius quam ipsum Corticem, expertus est *(w)*. Pulvere vel Electuario vel Infuso, sive leni Decocto usurpati, in obstinatis febribus tum adhuc proficere dicuntur, quando Cortex frustra fuit tentatus *(x)*. Sic quartana triginta sex mensium Camomilla tandem devicta fuit *(y)*. Præcipue flores hi conveniunt in

---

(*w*) Disf. de præstantia rem. dom. p. 29.

(*x*) HEISTERI, Disf. de med. Germ. indig. p. 13.

(*y*) SCHULZ, Disf. de febr. interm. cura antiq. == Plerique Auctores loquuntur de Camomilla Romana sive de *Anthemi nobili LINN.* quæ forsan in locis nonnullis efficacior videtur Camomilla Vulgari, vid. HALLERUM, ibid T. I, N° 101; sed in Galliæ plagis meridionalibus contrarium obtinere non negamus. *Je trouve les effets bien inférieurs à ceux que j'obtenois habituellement, dans le midi, de la Camomille Vulgaire simple*, Matricaria Chamomilla. *Dans ce pays elle a une odeur citronée três forte, un gout amer bien prononcé et légérement âcre. Je l'ai employée quelquefois comme febrifuge et avec succès chez des gens pauvres*; ait D. DOUBLE, *Journ. génér. de méd. T. XXIX, p.* 223. Hanc præ priori putredinem avertere legimus apud HALLERUM, Hist. Stirp. indig. Helv. T. III, p. 182, qui citat *Esf. sur la putref.* Unam et alteram speciem experimento subjecimus, et utramque æque efficacem reperimus. Jam (post judicium Societ) adnectere licet, Dominum BODARD stare pro Camomilla nobili *Propriétés médicinales de la Camomille noble. Paris*, 1810. Præsertim si creverit in locis ubi suæ spontis est, *dans les terreins sablonneux et secs, sur les lisières des grandes routes peu fréquentées de plusieurs Départemens, et sur-tout dans celui de la Mayenne, d'Indre-et-Loire, de Loire-et-Cher, de Maine-et-Loire, d'Ille-et-Vilaine et du Finistère. Ibid. p.* 8. Apud nos hæc colitur copiose in hortis, illa e contrario sponte ut dixi, in campis abundat.

febre irregulari, ubi habetur suspicio obstructionis viscerum, nam resolvendi potissimum virtute videntur febres dispellere, quamvis vires anodina et tonica non negligendæ sint: sic et pluribus aliis incommodis medelam ferunt; colicis præsertim et cardialgicis. Eos incredibiliter putredini resistere probavit *Pringle (z)*.

Utuntur aliqui sequenti formula:

℞. *Flor. Camom.* unc. semis.
Aq. puræ ebull. unc. iij.
Macera p. dimidiam hor. cola et
Adde *Sp. Vin. Gall.* unc. ij.
Sal. Absynth. drach. j.

M. D. quater in die quatuor cochlearia.

Præter dictos exhibendi modos succus expressus ad cochlearia duo vel tria, cum guttulis aliquot Spiritus Vitrioli, in jusculo paulo ante paroxysmum epotus, hunc arcere et febrem curare observatus est *(a)*. Conserva ex flosculis disci parata, pondere drachmæ unius aliquoties in die, in connubio aquæ florum distillatæ vel infusi illorum theæformis, adhibita, pluribus casibus in febribus dictis, etiam quartanis, efficax reperta fuit.

" Ante usum Kinkinæ; scribit *Cullen (b)*, in febribus intermittentibus multum celebrabatur usus florum Camomillæ, et Celebris Patriota noster Doctor *Pitcairn* censebat eos in pulvere datos in eo casu æquivalere Cortici Peruviano in substantia..... Id me movit ad illos adhibendos, porrectique in pulvere sub apyrexia partitis dosibus a drachma semisse ad integram, febrem intermittentem persanarunt. "

(z) *Philosophical. Transac.*
(a) RAY, Hist. univ. Pl. T. I, p. 81 seqq. In Nota.
(b) *Traité de mat. méd. T. II, p.* 83.

Peritissimus Practicus *G. Heberden* docet febrem intermittentem quandoque Cortici Peruviano non cedere, „ quo in casu inquit suspicio erit ventriculum sordibus „ onustum vim remedii impedire. Itaque vomere oportet; quo facto febris..... si redire perseveret, confugiendum est ad flores Chamæmeli, quorum contritorum scrupulus dandus est loco drachmæ Cinchonæ, et ad idem præscriptum repetendus. Hos „ flores sic sumptos, dicit *(c)*, semel atque iterum „ profecisse expertus sum". *Albinus* quoque Chamæmelum laudavit (*d*); item *Vogel* (*e*). Ego autem in propria praxi obtinui et in aliena vidi successus plurimos, sed etiam, fateor, non raro inutiles erant conatus.

Duplici modo flores illos periculo subjecimus in nosocomiis nostris: primo in nosodochio militari sub forma pulveris, ita:

℞. *Pulv. flor. Cam. vulg.* unc. j.
Muriat. ammon. scrup. iv.
M. F. Pulv. nº VIII.

Dandi partitis dosibus tempore apyrexiæ inter binos paroxysmos.

Iis promptissime sanabantur sequentes:

1º *Seyfaert*, ætatis 19 annorum, laborans jam a 48 diebus quotidiana vernali. Sumpta una unciâ dictorum florum, cum sale ut supra, paroxysmus non amplius apparuit *(f)*.

(*c*) Comment. de morb. hist. et curatione. Londini, 1802. p. 161.
(*d*) Vid. WERLHOFII, Op. med. P. I, p. 81 seqq. In Nota.
(*e*) In sua mat. med.
(*f*) Lectores universim se monitos habeant quæso, nos hic et ubicumque febrifuga præscripsimus, primas vias primo expurgâsse, sicubi id nobis necessum videbatur.

2° *Wallaert*, æt. 24 ann., a 42 diebus afflictus tertiana vernali, eumdem successum obtinuit ac præcedens.

3° *Hergotte*, æt. 21 ann., a 35 diebus tertiana vernali laborans, æque felix fuit ac bini jam nominati. At non celandum, hunc ægrum antea sumpsisse Corticem Peruvianum quo febris reddita erat minima, sic ut vix se ostenderet nisi recurrentibus parvis horripilationibus solita ingressûs horâ.

Sequentes sanati sunt sed lentius:

1° *Bressy*, æt. 23 ann., a 13 diebus affectus tertianâ vernali, sumpsit ter pulveres: 6ta July præscribebantur prima vice; — 7ma febris nil mutata. — 8va repetebantur pulveres. — 9na febris minor. — 10ma pulveres secundo repetebantur. — 11ma febris vix perceptibilis, et deinceps nulla penitus apparuit.

2° *Vienne*, æt. 21 ann., a 38 diebus tertianâ vernali. Pulveribus secundo sumptis febris per 5 dies integre cessavit, sed sexta apyrexiæ die redivit, cedens denuo soli pulverum usui, sed jam lentius quam prima vice: pulveribus quater repetitis opus fuit ut protinus extirparetur.

3° *Bouillard*, æt. 22 ann., a 22 diebus tertiana vernali. Ad quartam pulverum repetitionem febris circiter in nihilum redacta erat; sed æger militia solvitur et e nosodochio exit.

4° *Marcon*, æt. 19 ann., tertiana vernali, a 36 diebus; sumendo quinies pulveres febrem prorsus superavit.

5° *Houlet*, æt. 21 ann., tertiana vern., etiam a 36 diebus; bis datis pulveribus, sive 16 dosibus, febris 6 dies feriata est; 7mo vero die reversa, iterum disparuit sub pulverum usu, necdum tamen integre dum æger paucis post diebus e nosocomio deducitur.

Sequentes levamen non autem perfectam convalescentiam obtinuerunt:

1° *Helin*, æt. 21 ann., in tertiana vernali a 22 diebus. Bis exhibentur pulveres et febris vehementer infringitur, brevi extinguenda penitus; sed æger pulveres nimium nauseans eos ulterius sumere renuit.

2° *Neuten*, æt. 22 ann., in quotidiana vernali a 30 diebus. Quater sumpsit pulveres insigni cum levamine; sed superveniente cardialgia, ægroque medicamen respuente, aliud præscriptum fuit.

3° *Simar*, æt. 20 ann., tertiana duplici affligitur, a 30 diebus. Febris imminuta et primum postponens, debuit tamen tandem, post quinas pulverum exhibitiones, Cortice aufferri, cùm nullus amplius fieret in melius progressus.

Sequuntur qui nullum solamen ex pulveribus adepti sunt:

1° *De Belay*, æt. 19 ann., quotidiana vernali, a 36 diebus affectus. Pulveres quater frustra dati fuêre. Cortex febrem mox tollit.

2° *Le Comte*, æt. 19 ann., tertiana vernali, a 26 diebus. Quater quoque pulveres in vanum exhibentur; Cortex Peruv. dein semel datus nil efficit; Extracta amara, Camomillæ et Gentianæ triumphant.

Alter modus quo flores istos præscripsimus in nosocomio civili fuit sequens : sub forma nempe decocti:

℞. *Flor. Cam. vulg.* unc. ij.
Sal. Absynth. drach. ij.
Coq. q. s. *Aq.* ad lib. ij.
Add. *Syr. tot. Citr.* unc. ij.
M.

Detur scyphus vinarius omni trihorio, intervallo a febre libero.

Quos nacti sumus successus iterum in quatuor classes dividam : primo loco ponam casus in quibus sanatio fuit prompta, secundo in quibus fuit lentior, tertio in quibus non sanationem sed solum solamen obtinuimus, quarto ubi febris remedii vires perfecte illusit.

1° *Prompte sanati fuerunt :*

1° *L. D. (g)*, ætatis 20 annorum, ab 11 jam diebus quotidiana vernali afflictus. Unum decoctum suffecit ut febris tolleretur.

2° *J. B. D.*, æt. 21 ann., a 4 hebdomadibus quotidiana vernali. Pariter unum decoctum febrem abegit.

3° *J. D. C.*, æt. 16 ann., quotidiana autumnali. Unicum decoctum febrem abstulit; sed jam paroxysmus præcedens solito minor fuerat.

4° *J. R.*, æt. 34 ann., qnotidiana recidiva ; iti-

(g) Hic nomina ægrorum ad longum exprimere non licuit, ne contra concursûs leges me indirecte notum reddidissem ; quod hic accidisset, cum easdem observationes meo nomine insignitas dederim in opusculo cui titulus : *Tableaux d'Essais pratiques sur quelques remèdes usités à l'Hôpital civil de la Ville de Gand.* Gand, 1807. Nota post judicium *Societatis* addita.

dem primo decocto plane extirpata fuit; Cortex, fateor, antea datus eam modo diminuerat.

5° *H. V. D.*, æt. 38 ann., febre quartana recidiva vernali vexatus, binis decoctis perfecte sanatus.

6° *R. U.*, æt. 14 ann., in eodem atque præcedens statu versabatur, eodem modo et eodem successu sanitati restituitur; sed postmodum recidivam passa est ægra, nullis datis prophylacticis.

2° *Lentius sanati:*

1° *L. V. B.*, æt. 66 ann., tertiana vernalis restiterat octo dies evacuantibus, resolventibus, amaris. Ope solius decocti nostri decados spatio ægra plene convaluit.

2° *J. B.*, æt. 20 ann., quotidiana vernalis, pertinaciter restiterat 35 dies Evacuantibus, Extractis resolventibus, Cortici Peruviano, Decocto ligni Quassiæ; imo et ante hoc decoctum datum fuerat (sed tantum semel) præsens nostrum succedaneum, nunc autem 8va Vendemiaire ad idem revertimus et continuato ejus usu, febris intra octiduum protinus fugatur.

3° *C. J.*, æt. 24 ann., a 10 mensibus quartana autumn., nunc anteponens. Præscribitur Decoctum Cam. Rom. et illico postponit 2 horas; id bis accidit. Tum præscribitur Decoct. Cam. vulg. et accessus multo minor et una hora postponens, sine ullo frigore ingruit; sequens adhuc multo minor est, et deinceps febris non amplius apparet. Decoctum Cam. vulg. in toto quater fuit repetitum.

3° *Solatium dumtaxat non plenam convalescentiam obtinuerunt:*

1° *R. U.*, post 8 dies in recidiva tertiana nunc facta quotidiana, præscribitur ter decoctum; a secundo jam paroxysmus mitescit, sed 5 dies (etsi diminutus) cum persisteret, datur Cortex, cui immediate sequens paroxysmus adhuc resistebat eodem se exhibens vigore ac præcedentes.

2° *A. P.*, æt. 34 ann., a 20 dieb. laboranti tertiana vern., dato decocto subsequens accessus deficit omnino; duobus vero diebus postea accessus habetur sed solito minor. Non insistitur altero decocto, sed proceditur ad Extracta amara, quibus febris non cedit et tandem Cortice tollitur.

3° *R. de R.*, æt. 22 ann., in tertiana vern., sumpsit quater decoctum nostrum; interea paroxysmi minores et breviores evadebant. Aufertur nunc febris Cortice.

4° *B. C.*, æt. 35 ann., a 27 diebus quotidiana autumn. affectus, sumpsit decoctum: febris valde diminuta erat, quum superveniebat affectio catarrhalis; præscripta jam mixtura antiplhogistica et reliquum febris et catarrhum sanavit.

5° *J. C.*, ætat. 72 ann., quotidiana autumn., a 9 diebus: sexies sumpsit decoctum; dato horum primo, febris quæ 20 dies adversus varia remedia se rebellem exhibuerat, mox mitigabatur, dein et postponebat; tandem vero Kina opus erat ad illam eradicandam.

6° *N. D.*, æt. 15 ann., quotidiana autumn.; sumpto primo decocto febris postponens facta est, sed frustra sumebat æger adhuc duo decocta; accessus æque

vehementes permanebant. Cortex autem mox tulit suppetias.

7° *M. L.*, æt. 30 ann., recidiva intermittentis vernalis. Septem decadibus varia in vanum administrantur remedia, dato decocto nostro paroxysmi extemplo infirmantur, sed post secundam decocti repetitionem persistunt. Substituuntur alia remedia et Cortex tandem malum delet.

8° *J. D.*, æt. 23 ann., quartana vernalis, a 32 diebus; inutiliter varia fuêre tentata; jam ter porrigitur decoctum nostrum, mox accessus leviores evadebant; ast pertinaciæ diuturnioris pertæsi, Cortice rem absolvimus.

9° *J. de V.*, æt. 73 ann., tertiana duplex. Quater porrectum fuit decoctum nostrum; post usum 2^di^ decocti paroxysmi diminuebantur, et post usum tertii febris in tertianam simplicem transibat; dabatur quartum sed nulla jam mutatio; unde ad Corticem refugimus, et hocce febris plane frangitur.

10° *H. R.*, æt. 68 ann., febris intermittens autumn. irregularis, jam a mense exorsa. Bis dando decoctum imminuta erat; sed tum data Extracta amara curam absolverunt.

4° *Nullum emolumentum ex usu decocti reportârunt:*

1° *Jo. C.*, æt. 24 ann. Quotidiana quæ 33 ante diebus originem duxerat, quo spatio plurima frustra tentata erant. Quinque adhibita decocta pariter nil juvarunt. Cortex hactenus intentatus, exhibetur desiderato cum affectu.

2° *L. S.*, æt. 35 ann., in quotidiana orta duobus ante

mensibus; decoctum bis datum nihil boni adferre visum est, sed primæ viæ non fuerunt rite evacuatæ.

3° *J. R.*, æt. 47 ann., a 40 diebus quotidiana decumbens autumn., quam tum quinque decoctis impugnavimus sine ullo fructu.

4° *B. F.*, æt. 37 ann., quartana vernali ad quintum jam mensem provecta. Decoctum sat diu sumptum nullum emolumentum præstitit.

5° *Js. C.*, æt. 35 ann., quartana vern, quam non deturbant Resolventia salina et Extracta amara, per 27 dies administrata. Deinde ter præbetur decoctum nostrum, sed æque inutiliter.

6° ÆSCULUS *Hippocastanum. LINN.*
Hippocastanum. TOURN. 611.
Castanea folio multifido. BAUH. pin. 419.
Castanea equina. DOD. pempt. 814.
Gallice, *Maronnier d'Inde.*
Belgice, *Wilde Castanie-boom.*

In tota Gallia juxta vias et ambulacra admodum vulgaris arbor.

Cortex ejus juxta plurimos medicos, *Zannichelli* (*h*), *Sabarot de la Vernière* (*i*), *Peipers* (*k*), *Bucholz* (*l*), *Junghans* (*m*), *Coste* et *Willemet* (*n*), *Turra* (*o*), *Des Bois de Rochefort* (*p*), *Hufeland* (*q*) *&c.*, in-

(*h*) Lettera intorno alla facolta dell' Ippocastano. Venetiis, 1733. Cujus compendium in Commerc. Nor. 1734. p. 75 seqq.
(*i*) *Journ. de méd. T. XLVII*, *p.* 324 *seqq.*
(*k*) Disſ. de Cort. Hippocast. Duisburg, 1763.
(*l*) Chijm. versuch über antisept. subst. 1776. et T. IV, Act. N. C.
(*m*) Disſ. de Nuc. vom. et Cort. Hippocast. virtute medica. 1770.
(*n*) *Essais sur quelques Plantes indig. substit. avec succès à des végétaux exot. &c. Nanci*, 1778.
(*o*) Della febrifuga facolta dell' Ippocastano. In Vincenza, 1780.
(*p*) *Cours élém. de mat. med. Paris*, 1789 *T. II*, *p.* 187 *seq.*
(*q*) Journ. der practischen Heilkunde. Band XXI, St. III, p. 188.

ter præstantissima Corticis Peruviani succedanea habendus est. Secundum mea experimenta ait *Hufeland (r)*, Cortices *Hippocastani* et secundo loco Cortices *Salicis fragilis*, omnium maxime sua natura illi respondent: ambo Cortices *Peruvianus* et *Hippocastani* simile decoctum exhibent saporis acerbi et stiptici, extractum etiam simile tum aqua tum spiritu vini factum *(s)*. Cortex Hippocastani non facile corrumpitur, sed integris viribus plures annos persistit, si non pulverisetur; decoctum ejus carnibus additum has diutissime contra putredinem tuetur, quin putredinem jam ex infusione earum cum aqua enatam, corrigit. Antisepticam quoque vim exerit in vitellum ovi, in serum sanguinis, bilem, sanguinem (*t*), quin in serum sanguinis Cortice Peruviano potentiorem.

Proprietates hæ jam inde a priori persuadere videntur, Corticem Hippocastani bonum præbere remedium antifebrile et antigangrænosum. E contrario experimenta chemica D.ni *Figuier* (*v*) non admodum favent virtuti ejus febrifugæ. Anxius hæcce non perquiram, quippe argumenta a posteriori, experimenta nimirum clinica rem elucidare debebunt.

Cortex ramorum mediocris ætatis, recens in pulverem tenuissimum redactus, exhibetur juxta *Hufeland* sæpe et parca dosi, v. g. grana x. cum *Pulv. Arom.* gr. iij., sic ut æger tempore apyrexiæ minimum semiunciam consumat. Hac norma plerumque prima vice aut saltem secundâ, scopum nostrum attingimus, inquit. Si malum pervicax erat, augebat dosim remedii (et eadem propor-

---

(*r*) Ibid. p. 167.

(*s*) COSTE et WILLEMET, Ibid. p. 61. REMBER, Almanach für Scheidenkünstler und Apotheker. 1785. p. 124.

(*t*) PEIPERS, Ibid.

(*v*) *Annales de la Soc. de méd. prat. de Montpellier. Septembre*, 1808. *p.* 152 *seqq*, Confer. *Bulletin de Pharmacie. T. I*, *p.* 37. Ubi D. PLANCHE dicit: Non dari analogiam sat manifestam inter Corticem Æsculi et Corticem Peruv. id docente D. HENRI experimentis D. VAUQUELIN, *Annales de Chim.* N° 200. *Août* 1808. *p.* 218.

tione etiam dosim additi aromatis) usque ad unciam unam, dandam in febrium intervallo. Hora ante accessionem porrigebatur granum j. Opii. Hæ febres etiam rebelles suffocabantur. Si pulvis ventriculo gravis accidit, addatur singulæ dosi paucum Spiritûs Vini, vel Essentiæ Absynthii vel Vini; si vomitum vel secessum movet, singulæ dosi addatur una alterave gutta Laudani liquidi. Si neque hac methodo febris tollitur (pergit Ill. *Hufeland*), supposito quod febris non intertinetur aliquibus causis remotis, primarum viarum cruditatibus, vermibus, obstructionibus viscerum, vitiis organicis vel morbis universalibus v. g. lue venerea, suppressa perspiratione, podagra &c. de quibus in meo *System der practischen Heilkunde*, tunc infit, possumus remedium illud aliis etiam indigenis, sc. *Floribus sal. Ammon. mart.* insigniter roborare, horum semidrachmam vel scrupulos duos miscendo unciæ uni Corticis. Si tandem et hoc non sufficit, intenditur efficacia addendo illi tertiam partem bonæ Kinæ vel Augusturæ vel Corticis Regii.....

D. *Sabarot (u)* Corticem vult primum sive extimum sive epidermidem ùt ait, Squammosam, interne coloris castanei clari. Deligit Corticem solidiorem arborum mediocris ætatis, sanum et probe siccum, a musco quo sæpe extrinsecus obsidetur, mundatum. Optime et facillime colligitur dum arbores glubunt, toto vere et mense Augusto.

" Colligi debet Cortex vere, ex ramis non nimis „ crassis vel vetustis, nec adhuc nimis teneris, et al- „ burnum adhuc adhærens cultro auferendum ". Dicunt docti Auctores *Dispensatorii Lippiaci (w).*

Data uncia una pulveris partitis dosibus tempore inter paroxysmos intercalari, postponebant hi vel ante-

---

(u) Loco C.

(w) Ibid. Part. I, p. 90.

ponebant, sed semper vehementiam deponendo aut diminuendo.

Corpus, ubi necessum, Auctor ille præparare solebat; sic, inquit, illum Corticem prospere præscripsi in febre erratica, in tertiana, quotidiana et aliis intermittentibus *toujours* repetit *avec succès*. In posterioribus febribus tamen secundum mea aliorumque observata successus multo incertior.

Zannichelli in tertiana dabat drachmas duas, Aquæ Cardui benedicti unciis quatuor perfusas, sub finem paroxysmi, et hanc dosim altera die bis, mane et sero iterari curabat; ita febris fugata fuit, quamvis ut recidivis obviam iretur, aliquot dies mane commendaretur repetitio. *Turra* (*x*) uncias duas in duodecim partes æquales dividi curabam, quarum una omni quadrihorio cum aqua ingerebatur. Decocto pariter locus est: *Coste* et *Willemet* illud ex uncia una pulveris et radicis Glycyrrhizæ frusto in libris duabus aquæ ad tertiam partem decoctis componebant, per quadrihorium partitis haustibus assumendum (*y*). Arridebat ipsis et Electuarium (*z*). Extractum quoque honorifica mentione dignum est, non modo pretiosius istud arte Garayana paratum de quo *Buchholz* (*a*) et *Turra* (*b*), sed istud vulgari artificio factum, de quo idem *Buchholz* (*c*), modo ignis, quantum fieri potest, lenis tam pro extractione quam pro inspissatione adhibeatur. Solvitur una ejus drachma in aquæ Cinamomi simplicis uncia, hujusque Elixirii guttæ sexaginta omni trihorio capiuntur, et sæpe sufficit una ejus uncia, quin aliquando jam data

---

(*x*) Ibid. p. 22.
(*y*) Ibid p. 59.
(*z*) Ibid.
(*a*) Ibid. p. 18.
(*b*) Ibid. p. 20.
(*c*) Ibid. p. 26.

dimidia febris disparuit (*d*). D. *Cusson* (*e*) sub pulveris atque sub apozematis forma remedium administravit, et utramque methodum successu coronari vidit; sed priorem methodum efficaciorem reperit et quacumque alia incomparabiliter meliorem. Dosim admodum amplam consulit: " Animadverti inquit, eum (Corticem Æsculi) nunquam majori certitudine et promptitudine operari, quam ubi quadam prodigentia administratur: raro spem fallit quum ad drachmas xij. vel xvj. præscribitur, ubi alioquin si minor porrigitur dosis, sæpe imperfecte satisfacit..... oportet dare dosim dosi Chinchinæ ferme duplo majorem.... sine ulla animi antepræoccupatione asserere possum, me nullum observavisse malum effectum in ægris quibus eum administravi ". Vidi infit D. *Cusson* (*f*), in curatione febrium quartanarum, methodum opportuniorem ad remedii effectum certiorem reddendum, esse, ut associemus ei juscula aperitiva aut ejusmodi succos. Apud senes et illos quorum solida relaxata sunt humoresque stagnantes, et quos eapropter tuto stimulare licet, combinatio Hippocastani cum Sale Ammoniaco, cum Ferro, cum Elixirio proprietatis et similibus, raro fallit.

Clar. *Leidenfrost* jam anno 1752 minimum viginti ægris in febre intermittente auxilio fuit, uncia Corticis hujus una aut ultra exhibita; non negat tamen in aliquibus rem haud successisse. *Peipers* pariter viginti et ultra curationes hoc remedio peractas citat (*g*). D. *Dupont*, ut vulgo notum, chartis publicis adhuc nuper contentiosus asseruit, se Corticis Hippocastani ope sanavisse ægros qui abhinc duobus et dimidio tum mensibus ob febres intermittentes in nosocomium venerant,

(*d*) BUCHHOLZ, Ibid. et Confer. Ejusdem Nachricht W. W.' Fleck- und Friesel-Fieber. p. 81.

(*e*) *Annales de la Soc. de méd. prat. de Montpellier. Septembre*, 1808. *p.* 173.

(*f*) *Ibid. p.* 170.

(*g*) Diss. cit. Ann. 1763.

etiamsi nonnulli illorum evidenter infarctu viscerum vitalium laborarent. Citatus jam *Cusson* eximium huic Cortici testimonium perhibuit, dicendo *(h)*: "... Acceptissimum mihi erat visu illum plerumque ex sententia mea cedere, ... quas continet numerosas curas diarium, quod sex consequentium annorum spatio quà medicus nosodochii charitatis confeci, me cogunt proprietates in illo agnoscere Kinæ analogas, eumque ejusdem succedaneum existimare". D. *La Croix (i)* in febre intermittente biliosa epidemica sub typo nunc tertianæ, nunc tertianæ duplicis, nunc quartanæ, nunc quartanæ duplicis decurrente exhibuit sequens Opiatum: ℞. *Pulv. Cort. Hippocastani* uncias tres, *Crem. Tart.* unciam unam, *Mell.* q. s. f. Opiat. Post singulam dosim superbibebat æger scyphum ptisanæ vel ex acetosella vel ex polypodio quercino paratæ. Ordinarie tres unciæ sufficiebant pro cura. In casibus maligniotibus comate somnolento symptomatico stipatis, præmisso emeto-cathartico &c. unciæ octo Opiati ordinarie ad curam suffiebant..... (his verbis tandem concludit) *C'est ainsi* (servatis servandis) *que cette écorce a reussi sur plus de* 200 *malades*. Undecim febricitantes diversæ ætatis et constitutionis ajunt DD. *Coste* et *Willemet (k)*, hoc Cortice, sine recidiva, octo decemve dierum spatio, pristinæ sanitati restituti sunt; eadem autem dosi qua Cortex Peruvianus dari solet, eum sumpserunt."

En quæ ego Collegi et partim feci experimenta:

Exempla in quibus remedium illico juvit, quæ mihi communicata fuerunt a Practico rurali fide dignissimo.

F. J., æt. 33 ann., temperamenti biliosi, febre af-

(h) Ibid. p. 166 seqq.

(i) *Annales de la Soc. de méd. prat. de Montpellier. Septembre*, 1808. *p.* 177 *seqq.*

(k) Ibid.

februs intermittente tertiana simplici, quæ post sex insultus in tertianam duplicem transibat, me accersiri jubebat, die 14ta morbi, 19 Septembris 1808. — Lingua obsessa, cum nauseis et vomitibus spontaneis, — 10ma datur vomitorium; 11, 12 et 13^{tia} resolventia.

15ta ℞. *Pulv. Cort. Hippocast.* drach vj.
Carbonat. potass. scrup. iv.
M. f. Pulv. n° VIII sumendi ante paroxysmum expectatum.

Accedo ad eum postridie mane; sex tantum pulveres debito tempore sumpserat. Refert tamen febrem minus violentam et minus diuturnam fuisse. Injungebam ut sumeret duos remanentes pulveres ante paroxysmum qui debuisset ingruere eadem die hora undecima matutina; ast hic non apparuit.

17ma ℞. *Pulv. Cort. Hippocast.* unc. j.
Carbonat. potass. drach. ij.
M. F. Pulv. n° IX. Dentur tres in die qua prophylacticum.

L. d. W., æt. 20 ann., temperamenti lymphatici, febre prehenso tertiana simplici, cum fomite gastrico bilioso, hoc evacuato, præbui Corticem Peruvianum flavum frustra. Adjuncto illi Cortice rubro, scopum assequebar. Sed septimana secunda febris redibat sub schemate jam tertianæ duplicis. Tum exhibebam drachmas decem pulveris *Cort. Hoppocastani* ordinario ritu sumendas: febris inde sensibiliter diminuta observabatur, rediens tamen adhuc post duos dies. Tunc dabam unciam unam et semis *Hippocastani* cum drachmis duabus *Salis Tart.* et febris plane necata fuit. Iterum recidivat et ejusdem Corticis unciam unam oppono, unde paroxysmus paulo minor evasit. Æger hoc reme-

dio pergere renuit, et do ipsi unciam unam Kinkinæ flavæ, quæ etiam effectu frustratur; addita autem uncia Kinæ rubræ pertinax hostis eruitur.

Adolescens consanescebat ex febre quotidiana sumptis ejusdem Corticis indigeni duabus et dimidia unciis.

Alius adolescens e febre biliosa continua emergens, post 14^{tum} morbi diem detinebatur febre intermittente irregulari; datur uncia una Corticis *Hippocastani* et omnis febris disparet. Notandum hic, paroxysmos non fuisse vehementes.

Momentaneum levamen attulit in casu sequenti:

Mulierem pauperrimam, cachecticam et scrophulosam adoriebatur febris tertiana; cùm accersor, do ipsi unciam unam dicti Corticis: insultus sequens tres horas postponebat. Postridie de nocte accessus ingruit sub forma comatis somnolenti: administrantur vesicantia et alia remedia convenientia: redit de suo sopore; Kina Kina instatur, sed accessione brevi superveniente, ægrotans apoplectica moritur.

Hæc ex Gallico idiomate verti: ultima verba tamen ut magis energica sint, non mutabo: *Les observations susdites*, inquit, *sont réelles et véritables sans exagération.*

J'ai l'honneur &c., J. F. PEETERS.

Experimenta quæ instituimus in nosocomiis nostris Civili et Militari.

In Civili:

1° *E. A.*, æt. 24 ann., ex 3 jam septimanis cum tertiana intermittente regulari luctatus, in nosodochium intrat 20ma Augusti: 21ma paroxysmus vigebat, sed

solito minor. Postridie præscribitur *Pulv. Cort. Hippocast.* unc. j., modo ordinario partitis vicibus sumenda. — 22da paroxysmus non apparuit; et porrigitur pulveris *Cort. Hippocast.* unc. sem. in plures doses divisa. Sana mansit ægra et 28va nosocomium dereliquit.

In nosocomio Civico-militari.

2° *Delhay*, a 29 diebus tertianâ vexatus, sumpsit pulveres nostros, et cum bis eos sumpserat febris eum penitus deseruit.

3° *Kautz*, a 15 diebus quartana afflictus, idem remedium bis sumit et febris minor observatur; repetitur adhuc bis et hodie 29 Octobris cum hæc scribo, pulveribus ultimis sumptis, accessionem aliquam febrilem observo, sed vix sensibilem; ita ut vix dubium appareat quin protinus febris sit emansura.

Redeo ad exempla nosocomii civilis:

Ubi remedium parumper juvit, in casu sane difficili.

1° *A. J.*, æt. 17 ann., a 5 mensibus febre intermittente quotidiana et a quatuor mensibus menstruorum retentione laborans, 21 Augusti post paroxysmum duobus prioribus parem sed postponentem, incipit sumere unc. j. pulveris nostri in 4 doses divisam. Primam dosim vomitu rejicit, reliquas ventriculus sustinet. — 23tia paroxysmus eadem hora redit sed minus violenter. Adhuc bis repetuntur pulveres, quos ægra commode fert, sed absque febris diminutione; contra, sequens paroxysmus intensior observatur. Tum datâ Kinkinâ febris illico sublata fuit.

Aliud ejusdem generis:

2° *L. N.*, æt. 45 ann., in quartana jam quinto

recidiva, post emeticum et purgans data, præscribuntur 21ma Augusti drachmæ decem *Pulv. Cort. Hippocast.* ante expectatum paroxysmum sumendæ: hic autem horas tres solito serius ingruit, at cæterum æque fortis. Pulveres adhuc semel repetuntur, sed sine fructu, sic ut die tertia notetur in diario: *même paroxisme.* Mox præscribuntur decem drachmæ *Cort. Peruv. flav.* ut f. pulv. n° IV. et hinc subsequens paroxysmus multum diminutus dicitur, et continuato Corticis usu, postea non rediit.

Experimenta tria ubi Hippocastanum nullum levamen attulit.

1° *A. M.*, æt. 19 ann., a 2 septimanis tertianam patienti, post emetici et purgantis usum, porrigitur 21 Augusti *Pulv. Cort. Hippocast.* unc. j. Succedens paroxysmus æque fortis ac præcedentes, una hora solito citius supervenit. Iteratur eadem dosis *Hippocastani* et jam duas horas anticipat febris. Datur nunc *Cortex Peruv. flav.* et unica vice deletur.

2° *M. d. S.*, æt. 19 ann., a 7 diebus febre intermittente tertiana afflicta, post fortem paroxysmum 21 Septembris sumit pulveres nostros: tertiam dosim partim evomuit, reliquas bene sustulit: paroxysmus tres horas anteposuit. Repetuntur pulveres, exin paroxysmus dicitur fuisse fortior et 2 horas anteposuisse. præscribitur *Cort. Peruv. flav.* et febris cedit extemplo.

3° *C. v. L.*, æt. 30 ann., a 4 fere hebdomadibus primum tertiana, nunc a duabus diebus quotidiana, sine signis fomitis, at appetitu et viribus dejectis, laboranti, datur *Hippocastanum* bis, et omnia in eodem statu permanent; datur *Kina flava* et febris intra biduum disparet.

Miles in nosodochio civico-militari contra quotidianam bis pulveres taliter qualiter sumpsit sine fructu; sed fere semper vomitu illos rejiciebat, et dein profitebatur impossibile sibi esse in eorum usu progredi.

Parisiis, (ut ex literis observantissimi medicinæ alumni (*l*) jam practici laudatissimi habeo) majori constantia quam hic Hippocastanum præscribunt Medici: in nosocomio generali æger n° 30 aulæ S^ti^ *Francisci*, vir quinquagenarius, temperamenti biliosi, qui elapsis quatuor annis, non obstantibus variis remediis per tres menses febre intermittente afflictus fuerat, hoc anno tertiana a prima Augusti laborans, quinta ejusdem mensis in nosocomium intrat. Cùm signa cruditatum primarum viarum sese offerrent, emeticum porrigitur et postridie purgans ordinarium. Purgatis primis viis appetitus tantillum redit. Septima Augusti præscribitur *Hippocastanum*; — 8va habetur accessio solita hora, eodem gradu, cum minori sudore et subsequente somno tranquillo. Repetitur *Hippocastanum*. — 9na cardialgia: ℞. *Pulv. Cort. Hippocastani* unc. j. f. dos. 8. — 10ma colici dolores, constipatio, accessio febris duas horas postponens, horripilationes omnino leves, sudor minor, somnus optimus. — 11ma dolores minores, appetitus bonus, hora quinta pomeridiana paroxysmus levis. Continuatur usus Corticis *Hippocastani*. Æger diebus quibus accessus locum habere solebat, percipit adhuc aliquam defatigationem. Sumpsit in toto uncias quatuor *Hippocastani*, et 10ma Septembris sanatus e nosocomio exit.

Alius ægrotus, Germanus, a febre quartana fuit liberatus, sed quinque unciis Corticis Hippocastani opus fuit. Etiam de cardialgia sub finem conquestus est. Hoc miror, cùm nihil simile apud nos observaverimus, nec in nosocomio charitatis hac de re querimonia habita fuerit. Unde id nequaquam universum.

(*l*) Domini DE BAST.

Sed in hocce nosodochio minori dosi exhibitum fuit remedium et alia ajuncta fuêre. En exemplum: *Collin*, æt. 17 ann, temperamenti lymphatici, 20ma Augusti ultime elapsa in nosocomium venit, jam a 9 diebus quotidiana afflictus, sine ullo symptomate gastrico. Paroxysmus hoc die præcedentibus æqualis est. Præscribuntur duo scrupuli *Cort. Hippocast.* duabus dosibus indies sumendi; una et infusum herbæ Chamædrios et Chamepitios. — 27ma Augusti paroxysmus præcedentibus minor. Perseveratur iisdem remediis. — 30ma levissimæ horripilationes, vix calor, sudor nullus. Repetuntur eadem remedia. — 31ma vix sensibilis horror, sine calore, sine sudore. — 1ma Septembris perfectissima valetudo. Æger adhuc tres dies in nosocomio mansit et iisdem suppetiis usus est.

Pro experimentis nostris allati mihi fuerunt Cortices recentes ramorum sex septemve annorum domi meæ et sub oculis meis exscissum est omne alburnum et omnis sordities externa abrasa. Rite in aëre exsiccati fido pharmacopolæ dati fuerunt in pulverem reducendi. Hic credens non satis siccos esse, eos calori furni ulterius tantisper exposuit; quod non puto nocuisse.

Docente *Turra (m)* tuto omnino capitur; usus ejus nullas molestias excitat, quales nauseam, vomitum, pondus in ventriculo, diarrhœam, alvi obstructionem. Quibusdam juxta *Sabarot*, præcipue delicatioribus, levem pectoris constricti sensum movet, sed ptisana mucilaginosa facile tollendum. Ubi tempestive corpus eodem potu contra hunc remedii effectum muniebatur, symptoma illud avertere poteramus, ait *Cusson (n)*.

Sublata febre nec legi nec expertus sum, ullum malum Hippocastani effectum subsecutum fuisse.

Antehac remedio isto febrem fugare nunquam molitus eram, ast ab anno 1786 illud quandoque dedi re-

(*m*) Ibid. p. 14.
(*n*) Ibid p. 167.

cidivæ arcendæ gratia, qua spe, quantum recordor, nunquam frustratus fui; licet tum adhiberem Corticem trunci arboris satis annosi, eumque integrum, scabrum, ad drachmam unam, mane et sero ex aqua hauriendam.

Longius se extendunt virtutes Corticis Hippocastani quam ad febres intermittentes, licet harum aliquæ dubium adhuc admittant. Eo sanata leguntur febris atrabilaria et cardiaca, ùt vulgo vocatur, cum alvi dejectionibus juncta (*o*); item febris lenta (*p*). Effluvium obstinatum in gonorrhœa ex atonia partis profectum pulvis ille coercuit (*q*). Videtur quoque virtute antispasmodica instructus: sic una cum duplici tertiana partinaci convulsiones tremoremque concomitantes superavit; et in tribus quatuorve exemplis epilepsiæ insultus retardavit.

Decoctum ejus aquæ calcis remixtum casu singulari inflammationem externa applicatione dissippavit (*r*); alio casu ulcus ex male tractato vulnere suræ ortum convaluit (*s*); alio iterum gangrænæ minæ in crure hydropici obviæ, vino cui hic Cortex incoctus, sublatæ sunt (*t*).

Non tantum Cortices Hippocastani, sed et ejusdem fructus qua Kinæ succedaneum reputantur: D. *Bon* Præses Societatis R. scient. Monspeliensis, modo anno 1720, legebat in una Sessionum Societatis Commentarium super Castaneis Indicis *Sur les moyens de rendre utiles les Marrons d'Inde* (*v*). Annunciabat se plurimis experimentis compertam habere horum fructuum efficaciam antifebrilem, asserebatque se vidisse

(*o*) ZANNICHELLI, l. c.
(*p*) JUNGHANS, Diss. cit. p. 26.
(*q*) SABAROT, ibid.
(*r*) JUNGHANS, ibid. Obs. 5.
(*s*) Ibid. Obs. 6.
(*t*) Ibid. p. 60.
(*v*) *Mém. de la Soc. R. des sciences de Montpellier, T. II, p. 57. Hist.*

eos feliciter administrari a plurimis medicis quibus novum hoc remedium indicaverat.

Clar. *Hufeland* (u) contendit, fructum hujus arboris Corticem Peruvianum antecellere in quibusdam casibus et maxime in circumstantiis ubi peccat debilitas: in hæmorrhagia asthenica præcipue uteri et vasorum hæmorrhoidalium, in mucosis et serosis profluviis, diarrhœa chronica, fluore albo, hæmorrhoidibus mucosis, tussi et phthisi mucosis. Præsertim in binis primis casibus efficaciam remedii se expertum esse refert; adhuc nuper infit, exemplum vidi fluxûs uterini triennium fere durantis, contra quem Kinkina, mars, acida, alumen et omnia comprobata auxilia minus efficacia se exhibuerant, hoc autem remedio sanati; et quum deinceps recidiva ingruebat, hæc illico illius usui cedebat.

Ita administratur: torrefiunt fructus adinstar glandum et grosso modo pulverisantur; uncia una aut una cum dimidia ex xx. unciis aquæ ad medietatis reductionem decoquitur, et decocti medietas altera sumitur mane, altera sero. Liceret adhuc augere dosim ubi casus foret pertinax.

Experimenta super fructibus Æsculi facta mense Novembri 1808.

1° *Hazard*, æt. 21 ann., debilis constitutionis, a 2 mensibus quotidiana, postquam curam mercurialem subierat, affectus, incipit 6ta Novembris sumere *Decocti fructuum Hippocast.* unc. viij, partitas in 2 doses; alteram mane alteram sero. — 7ma febris minor erat. Eodem die repetebatur Decoctum. — 8va, 9na et 10ma itidem repetebatur. Hoc ultimo die medicamen vomitu rejicit, 11ma non exhibetur. — 12ma rursus ad-

(u) Ibid. B. XXI, St. III, p. 188.

ministratur, etiam 13^{tia}, qua paroxysmus levior. — 14ta febris non apparet, nec apparuit ultrà.

2° *Trempert*, æt. 12 ann., constitutionis debilis, recidiva quotidiana ab octiduo, postquam duos menses in nosocomio fuerat. 6ta Novembris ℞. *Decoct. fruct. Hippocast.* ùt præcedens. Quotidie repetitur usque ad 12^{mam} inclusive. — 7ma paroxysmus solito minor. — 8va adhuc minor et postponens. — 9na recrudescit, et 14ta adhuc magis intendebatur. Nunc duobus diebus *Corticem* dando febrem necamus.

3° *Du Pont*, æt. 21 ann., quotidiana, protractis paroxysmis fere continua, laboranti, 7ma Novembris datur ùt superius, quotidie *Decoctum fruct. Hippocast.* usque ad 13^{tiam} inclusive. — 8va febris eadem. — 9na multo minor. — 10ma eadem, — 11ma vix sensibilis, — 14ta plane deest nec redivit.

4° *De Bal*, æt. 26 ann., constitutionis debilis abhinc octiduo tertiana afflictus, 10ma Novembris cœpit quotidie uti Decocto usque ad 13^{tiam} inclusive. — 11ma febris minor. — 13^{tia} protinus necata.

5° *Bauville*, æt. 28 ann., validæ constitutionis, quotidiana laborans a 16 diebus, cepit incipiendo ab 11ma Novembris, sexies Decoctum, sed unice febris diminuebatur, non autem cedebat: opus fuit aliis auxiliis.
Itaque unus prompte, bini lentius, et bini alii non sanati fuerunt.

Argumenta quæ contra succedanei hujus valorem militari videntur.

Primum suppetunt verba Dni *Moehring* sequentia (*w*):

(*w*) Commerc. litter. Norimberg. Vol. ann. 1736. p. 20. Item *Jour-*

" Castaneæ equinæ Cortex, adversus febres tanto-
" pere a Cel. *Zannichelli* laudatus nostris durioribus
" forte stomachis nimium levis existit. Diversis enim
" illum (observatis exactissime ab illo præscriptis regu-
" lis) temporibus, diversisque hominibus, sine ulla
" quidem noxa, frustra tamen exhibui. Quid? Quod
" cuidam thedario macilento melancholico, quartana
" ultra semestre spatium jam laboranti, septem per
" vices uncias, febre permanente, propinavi, quæ ip-
" sa tamen, quum elapso mense Chinchinæ duas un-
" cias ex œnopagii larga quantitate accepisset, ægrum
" deserebat ".

Secundum: Cel. *Zulatti* (*x*) duodecim periclitationibus in nosocomio Patavino institutis pariter febrifugam hujus Corticis virtutem dubiam reddidit; sub finem dicit D. *Zulatti*, se adhuc aliis septem observationibus insufficientiam hujus Corticis probare posse, si opus esset; et tandem attribuit constipationem, pondus et calorem stomachi virtuti stipticæ medicamenti, quam *Lemery* modo noverat.

Doctus quidam Medicus Instituti Boloniensis etiam 15 Observationes Hippocastano contrarias suppeditavit; item aliæ extant Parmæ, Veronæ, Pataviæ factæ; extant 10 aliæ Doctorum *Moscati* et *Borsieri*.

Tertium: D. *Burtin* (*y*) etiam incassum administravit magnam copiam Corticis hujus tertianario, quem duæ unciæ Corticis Salicis prompte sanarunt.

Adhuc confer quæ dicta sunt ex *Figuier*, *Planche*, et *Henri*.

---

nal génér. de méd. T. XXIII, p. 328. Seqq. dans un Extr. fait par M. DESESSARTZ.

(*x*) Observat. sopra la facoltà dell Hippocastano. Firenze, 1782. vel vid. *Journ. de phys. du mois d'Avril, an* 1784.

(*y*) Ibid. p. 25.

7° SECALE *cereale. LINN.*
Secale Hybernum vel *Majus. BAUH. pin.* 23.
Rogga vel *Secale. DOD. pemp.* 499.
Gallice, *Scigle.*
Belgice, *Rogge.*

Uberrimam Belgarum messem constituit.

Antheræ florum adversus febres intermittentes commendantur. De hisce nihil experientiâ novi; sed de Pane Secalino ad combustionem fere tosto memoranda quædam leguntur apud D. *Wauters (z).* Ita loquitur:

OBSERVATIUNCULA PRIMA.

" Patruus meus veniens me invisum, narrabat quod quidam pauper, cujus miserebatur, jam ultra biennium febre intermittente quartanâ laboraret, quod exinde ad summam maciem et debilitatem redactus esset, et jam pluries Corticem Peruvianum a prudenti medico præscriptum frustra sumpsisset. Memor ego remedii istius domestici, quod in manuscripto D. *Michaux* patris Professoris nostri Botanices inveneram, suasi ut unam aut alteram scissuram panis *Secalini* prædicto modo super carbones torrefaceret, tostam coqueret per momentum in aq. font. libr. una et semis, Decoctumque per modum Coffeæ bis in die extra paroxysmum potaret.

Indicato executionique mandato hocce remedio, subito sanatus est miser, sic ut dubitem utrum ullam adhuc postea paroxysmum persensierit, sine recidiva convaluerit et extraordinariè pinguis factus fuerit. Certior redditus de felici hoc eventu, ulteriora tentamina instituere cupiebam. Itaque sit.

(z) Disf. botanico-med. de quibusdam plantis Belgicis &c. Gandæ, 1785. p. 32 seqq.

OBSERVATIUNCULA II.

Vidua *Ferdinandi de Grauw* (*a*) fere septuagenaria, quartana laborans, tam sævos patiebatur paroxysmos, ut sub singulo eorum vere apoplectica videretur, motu, omni sensu interno, et excepto aliquatenus tactu, omni etiam externo plane carens. Manebat in hoc statu per decem circiter horas. Inter quartum et quintum paroxysmum (epochâ quâ vocabar) lenia purgantia præscribebam; ea enim linguâ albo-flavâ crustâ obducta, sapor in ore amarus &c. indicabant: Sex vel septem secessus biliosos singulo horum binorum apyrexiæ dierum habebat ægra, his tamen non obstantibus, paroxysmus quintus nihil vehementiâ anterioribus cedebat. Inter quintum et sextum dedi sequens:

℞. *Panis Secal. fortissime tosti et pulverisat.* unciam j.
Pulv. Cort. Peruv. drachm. j.
- - - - - - *Cascaril.* drachm. sem.
Misce F. Pulv. n° VI.

Exhibibantur tres quotidie extrà paroxysmum. Tales pulveres sumpsit in toto octodecim, tanto cum sucessu ut sextus paroxysmus longe minor esset, septimus vix sensibilis, et exinde plane sanata fuerit manseritque mulier.

OBSERVATIUNCULA III.

Sportularius *Van de Velde*, septuagenario major vexabatur febre quotidianâ sat forti. unde ita debilitatus erat, ut sub paroxysmo involuntarie excrementa de corpore diffluerent, quamvis ipsum delirare vix dici

---

(*a*) Auctor in suis observationibus non expressit nomina suorum ægrorum, sed aliunde mihi nota sunt.

potuisset. Post duo vel tria lenissima purgantia, oculis, linguâ, abdomine, alvoque jam nihil contraindicantibus, porrexi Panis istius tosti uncias quatuor, ut illum in binis vicibus coquerent adstantes in *aq. font.* libra una et semis, quod Decoctum ut in duabus dosibus tempore apyrexiæ calide sumeretur imperabam. Febris postridie minor erat, et tertio die prorsus remansit.

OBSERVATIUNCULA IV.

Uxor lanii *J. Praet* post febrem bilioso-putridam retinuit tertianam intermittentem. Cùm jam corrigentia, resolventia et evacuantia sufficienter data arbitrarer, exhibui pulverem grossum Panis Secalini tosti, ut ex singulis duabus unciis sibi inter quosvis binos paroxysmos potum Coffeï-formem pararet, quod ex consuetudine apprime noverat. Oportuit decem doses sumere antequam febris penitus et sine recidiva eam relinqueret.

OBSERVATIUNCULA V.

Ancillæ Braxatoris *De Geyter* febre quotidiana laboranti remedium hoc ad uncias duas cum drachma semisse Corticis Cascarillæ in Decocto præbui, postquam bis leniter purgata fuisset. Per duas doses tempore apyrexiæ sumptas plane a febre liberata fuit. Verum aliquot post diebus per vehemens corporis exercitium febris cum vehementia rediit, quam denuo duabus dosibus ita fugavi, ut ancilla jam muneri suo rite obeundo par, remedia sperneret et solum adhuc bis vel ter aliquam lassitudinem et torporem per horam circiter sentiret tempore quo paroxysmus affligere solebat.

Quamvis tantillum hoc Corticis Cascarillæ primum tantum adjicerem ne percepissent ægri et adstantes quale hoc remedium esset neque vilitas contemptum peperis-

set; videor tamen observâsse id aliquid ad remedii efficaciam conferre.

Nuper pauperculæ mulieri quartana laboranti jam plures doses hujus remedii in vanum dederam, tandem æque inutiliter etiam datâ radice Serpentariæ Virginianæ, redivi ad panem et addidi corticem Cascarillæ, sic:

℞. *Panis Secalin. fortiter tosti et subtiliter pulverisati* unciam j.
Cort. Cascarill., *Sal. Tart.* ā drachm. j.
M. et f. Pulv. n° v.

Detur unus omni quadrihorio extra paroxysmum. Sumptis his pulveribus integre restituta est mulier".

Observationibus hujus Auctoris addo sequentes:

1° Vere anni 1808, Rhedario D^ni^ *Lippens*, ætatis 30 fere annorum, temperamenti biliosi, a 2 septimanis tertiana laboranti, corpore bene disposito, dedi *Pulv. panis Secalini tosti* unc. j. et semis. *Cort. Cascarill.* drachm. j. *Sal. Tart.* drachm. sem. M. f. pulv. VI., binos inter paroxysmos sumendi. Succedente paroxysmi periodo nulla horripilatio, sed aliqualis calor nonnihil molestus, initio siccus ac tandem parum humidus, cum tantilla pulsûs acceleratione, observabatur. Repetebantur pulveres, et iterum solito paroxysmi tempore similia sed vix sensibilia symptomata percipiuntur. Post tertiam pulverum sumptionem nil amplius sentitur; et Rhedarius quatuor vel quinque diebus postea cum hero suo rus petit, illic æstatem transacturus.

2° *Rolive*, Cæmentarius, æt. 24 circiter annor., temperamenti sanguinei, ab 11 hebdomadibus febre tertianâ prehensus; quâ jam a tribus diebus quotidianâ factâ, 2da Junii anni 1808, ad me accedit sanan-

dis. Purgato corpore, præscripsi pulveres ut dicto Rhedario et exacte eodem cum eventu, excepto solùm quod calorem et pulsûs accelerationem non bis sed ter vel quater senserit. Insuper adhuc per mensem et ultra conquestus est de repletionis et gravedinis sensu in abdomine, licet nullum viscus obstructum aut infarctum, et nullam collectionem explorando detegerem. Usu quotidiano Decocti saturati herbæ *Marubii albi* jejuno ventriculo mane ad libram unam sumpti, incommodum hoc sensim disspatum fuit.

3° *J. van der Haegen*, æt. 30 ann., constitutionis sanguinei, a 7 hebdomadibus laborabat primo febre quotidiana duplici, una mane altera vesperi ingruente, utraque continuo postponente, ac tandem transeunte in tertianam, cujus paroxysmus circa meridiem incipiebat. Hæc ultima quatuor fere hebdomadas ita decurrerat et eodem gradu perstiterat, quum æger me primùm consuluit. Præscripsi *Pulv. panis Secalini* unc. j. et sem. *Cort. Cascarill.* drachm. j. *Sal. Tart.* drachm. sem. M. F. Pulv. n° VI. medio inter binos paroxysmos tempore consumendi: subsequens paroxysmus longe minor erat. Denuo sumit sex pulveres et accessio sequens adhuc magis diminuta observatur. Tertio commendatur pulvis Secalinus, jam ad uncias tres forma Caffeti bis in die usurpandas, cum cæteris additamentis, non æque dosi augendis: paroxysmus sequens vix perceptibilis erat et nihili putandus. Commendabam nunc ægro, ut eadem vespera coqueret pugillum herbæ *Absynthii* in *aq. cōīs* q. s. et biberet colaturam, utque id postridie mane jejunus et 11ma matutina repeteret. Tum mediocris fortunæ homo non amplius me convenit.

4° Mense Junio eodem anno, filiolo D^{ni} *Quirini*, æt. 7 ann., teneræ constitutionis, qui cum febre primo quotidiana, dein tertiana tres septimanas conflic-

taverat, præscripsi *Panis Secalini ad nigredinem tosti et pulverisati* unciam unam, *Pulv. cort. Cascarill.* gr. x., *Salis Tart.* gr. v., f. s. q. *aq. bullientis* infusio et lenis coctio. Colatura sumebatur bis quotidie diebus liberis, et semel die pyrexiæ. Primus exin paroxysmus multo levior erat, et hunc sequens jam integre defuit. Suasi tum ut adhuc semel eadem cura per biduum continuata fuisset, verum puer tantum duas doses sumere voluit.

5° Quindecim post diebus mater hujus infantis, quæ ut diximus, mense Novembri anni præteriti quartana laboraverat, jam febre quotidiana impetitur; cùm duos paroxysmos perpessa erat, dicit marito: " Forsan pulveres illi quos filius sumere renuit et adhuc supersunt, etiam mihi conducerent "? Sumit ergo semel infusionem Caffei-formem tempore libero, sed duplicata dosi. Exinde jam sequens accessio longe mitior binis præcedentibus; ast infusionem illam nimis ingratam apprehendens et pani parum tribuens, prætulit sumere solos pulveres ex *Cascarilla* et *Sale*, etiam bis die apyrexiæ, et revera febris non amplius apparuit.

Fatetur D. *Wauters* quod altra sex superius enarratos felices successus, ter sine fructu, sed absque Cascarilla et in febribus curatu difficillimis, remedium adhibuerit. Præter 5 successus jam ultimo commemoratos ter quoque minus felix fuit exitus: 1mo in filio D^{ni} *Luycx* qui pluries potione Caffeiformi inter paroxysmos rite cum *Cascarilla* &c. contra tertianam usus est, sine percuratione, sed cum quodam solutio. Detexi tum evidentem subesse lienis obstructionem. Dando extracta amara resolventia, et obstructio et febris sensim intra quatuor circiter hebdomadas disparuerunt.

2° In filia mea, quæ medio Septembri vix reversa

ex oris maritimis ubi per mensem commorata fuerat, corripitur quartana regularissima. Bis sumpsit inter paroxysmos potum Caffeiformem sine, et semel cum *Cascarilla* &c. Observavimus paroxysmos tantillo minus violentos evadere, at longioris medicationis pertæsa, maluit ægra sumere Corticem, cujus uncia una in doses x. divisa totam rem absolvit.

3° In muliere septuagenariâ majori, quæ sub finem Septembris revertens Antverpiâ, ubi febres intermittentes incredibilirer epidemicæ erant, jam in via simili febre obruitur, quæ dein invenitur tertiana. Dato secundum indicationem vomitorio, transitur ad pulveres Secalinos, quos ubi semel sumpserat, paroxysmus videbatur remanere: sine ullo prævio frigore, levi dumtaxat corporis æstu et siti premebatur, velut de rhedario et cæmentario superius diximus. Pergit in usu pulverum, sed parum negligenter, cum filia ejus quæ sola illi inserviebat, opificii sui causa continuo abesse deberet: febris, quæ rediit gravior quam ante, Cortice dein auffertur.

FEBRIFUGA MINUS NOBILIA.

DE BISTORTA.

Quamvis Bistortæ effectus expectationi nostræ non responderint, eam tamen extra alphabeticum ordinem ad caput minus nobilium febrifugorum collocare lubet, cum tot experimentis illius virtutem exploraverimus, ut Lector aliquid cum certitudine aut magna saltem probabilitate, de ea statuere valeat. Igitur Kinæ substituitur

POLYGONUM, *Bistorta. LINN.*
Bistorta major, radice magis intorta. BAUH pin. 192.
Bistorta. DOD. pempt. 333.
Gallice, *Bistorte.*
Belgice, *Heris-tonge* en *Nater-wortel.*

Reperitur in locis humentibus, opacis sylvis, pingui ac lutoso solo, et facile in hortis nostris sub umbra colitur.

Quantum ad proprietates medicas, absolute similis est *Tormentillæ*; unde quæ de *Bistorta* dico, etiam *Tormentillæ* applicata cupio. Harum neutra, præsertim *Bistorta*, odorem habet, nequaquam aromatica est, nullum possidet oleum essentiale ait D. *Desbois de Rochefort* (*b*) Solutionem vitrioli martis nigram reddit. Lac et serum sanguinis coagulat et corium densat (*c*). Tam aqua, quam spiritus vini recipit adstringentem ejus naturam, et inspissatis hisce menstruis extracta emergunt valde stiptica. Extracti aquosi ex uncia una radicis eliciuntur drachmæ tres (*d*). Juxta *Cullen* (*e*) " Videtur esse una ex fortissimis adstringentibus, quæ in climate nostro crescunt ... crebro ... adhibui inquit Bistortam, præcipue in febribus intermittentibus. .. Porrexi illam sive solam sive cum Gentiana ad drachm. iij. quotidie ". (*f*). *Cartheuser* (*g*) quoque eam adnumerat antifebrilibus. " An parem „ cum ipso divino Cortice Peruviano virtutem habeat, „ ad penitus supprimendas febres intermittentes, ut „ quidam tradunt, de eo quidem merito dubitatur;

(*b*) Ibid. T. II, p. 51.
(*c*) ALSTON, Mat. med. Vol. I, p. 399.
(*d*) CARTHEUSER, Mat. med. Tom. I, p. 392.
(*e*) Ibid. T. II, p. 42.
(*f*) D. DESBOIS, præfert decoctum quod ita præscribit: ℞. *Cort Bistort.* et *Tormentill.* ä unc. j. coq. in *aq. comm.* lib. vj. ad lib. ij Colat. vasculatim detur nycthemeri spatio.
(*g*) Fund. Mat. med. Part. I, Sect. vj, Cap. III, p. 361.

„ imprimis quum illam, spem nimis benignam de ea „ conceptam sæpius delusisse, nobis ipsis aliquot „ exemplis compertum sit". Ait *Trillerus* (*h*).

Idem quod *Trillero* et nobis accidit, ut videbitur in multiplicibus exemplis in nosocomiis nostris captis: doleo tantum medicos nostros passim de indigenis parum diffidentes, paulo levius remedia illa reliquisse, quam ut certo statuere valeremus quid fuissent præstitura? Nec Bistortam solam præscripserunt, sed mense Julio addita fuit anatica pars radicis Calami aromatici et paucum Salis Ammoniaci, sic videlicet:

℞. *Pulv. rad. Bistort.*
- - - - - *Calami aromat.* ā unc. sem.
Sal. ammon. drach. j.
M. F. Pulv. nº IV.

Dentur tempore libero inter duos paroxysmos, horis convenientioribus.

Mense Augusto addita fuit æqualis pars radicis Gentianæ, sic:

℞. *Pulv. rad. Bistort.*
- - - - - - *Gentian.* ā drach. vj.
M. F. Pulv. nº VI.

Ut opportunis horis apyrexiæ spatio sumantur.

Sic mense Julio prompte sanati fuerunt:

1º *A. d'H.*, æt. 24 ann., quotidiana paludosa a 6 diebus laborans, semel sumendo pulveres priores. Accessus tamen immediate sanationem præcedens, nihilo prioribus minor fuerat.

(*h*) Dispensat. pharm. univ. Lovanii, 1781. T. I, p. 34.

2° *J. v. R.*, æt. 56 ann., qui febrem suam intermittentem diu neglexerat. 2da Julii accessus sine frigore incipiebat; dantur jam pulveres et febris protinus dissipatur.

3° *J. v. A.*, æt. 29 ann., a mense tertianarius. Ex aliquot diebus febris irregularis, 18va Julii fortissima: dantur jam pulveres; — 19na paroxysmus minus fortis, — 20ma idem, — 21ma sine paroxysmo, nec ullus dein apparuit, licet ob commissum in diæta excessum, ob fomitem mobilem et anginam catarrhalem supervenientem, pulsus 15ta adhuc semel dicatur febrilis

Allevati non sanati:

1° *S. A.*, æt. 24 ann., a 6 septimanis intermittente quotidiana afflictus, phthysim aliunde minans. Sumit pulveres 9na Julii; paroxysmus sequens minor. Cùm 15ta paroxysmus increvisset, datur *Cortex Peruvianus.*

2° *J. V.*, æt. 23 ann. In tertiana a 12 diebus exorsa, post emeticum et purgans, datur *Bistorta* ùt supra; sequens paroxysmus minus fortis. Repetuntur pulveres, sed subsequente paroxysmo ingravescente, præscribitur *Cortex Peruvianus*.

3° *J. M.*, æt. 33 ann. In febre tertiana recidiva exhibentur pulveres *Bistortæ* &c. cum *Opii* gr. j. et paroxysmus duas horas postponit. Tandem datur uncia una *Cort. Peruv. flav.* et febre non cedente, datur *Cortex ruber*, quo jugulatur.

4° *M. R.*, æt. 27 ann., laborans a 5 hebdomadibus tertiana, ab octiduo facta quotidiana. Evacua-

tionibus necessariis præmissis, 10ma et 11ma Julii notatur: idem paroxysmus; hac die datur radix *Bistortæ* et postridie notatur: Levis apparentia febris. — 14ta et 16ta idem, — 18va paroxysmus fere nullus; — 19na paroxysmus dicitur parum auctus et præscribitur *Cortex Peruvianus*.

5° *C. M.*, æt. 19 ann., tertiana recidiva. 2da Julii paroxysmus similis præcedentibus: dantur pulveres; — 4ta paroxysmus idem. — 5ta iterum præbentur pulveres; — 6ta paroxysmus minor. Sequens paroxysmus idem; præscribitur *Kina*.

6° *P. B.*, æt. 40 ann., quartana a 5 hebdomadis recidiva. Quater præscribuntur pulveres: 2da vice paroxysmus minor, item 3^{tia} vice. — 4ta paroxysmus fortior: nunc *Cortex Peruvianus* porrigitur.

Sequentes nullum levamen ex pulverum usu obtinuerunt:

1° *C. V.*, æt. 63 ann., quotidianâ conflictatus una et diarrhœâ. Semel tantum sumpsit pulveres. Aliis remediis febris mox tollitur, sed bis dein recidivat.

2° *J. A.*, æt. 23 ann., tertiana duplici affectus. — 17ma Julii paroxysmo prioribus simili existente, sumit pulveres: — 18va paroxysmus idem, — 20ma idem, et exin datur *Kina kina*, qua febris extinguitur, tantum leviusculo paroxysmo adhuc semel apparente 22da.

In eodem nosodochio medicus clinicus, mense Augusto, in quatuor casibus, sed sat rebellibus, præscripsit pulveres ex radice *Bistortæ* et *Gentianæ*, modo superius dicto compositos: sed semper sine optato eventu. Non contendo tamen, hæc multum contra hos pulveres probare; quandoquidem medicus videatur non

admodum diu remedio institisse, et casus fuisse ex se difficilioris curationis. Erant autem sequentes:

3° *J. E.*, æt. 21 ann., a 3 hebdomadibus febre intermittente quotidiana vexatus, sumpsit semel hos pulveres, et paroxysmus insequebatur intensior; sed opportuit dein quatuor uncias *Corticis Peruv. flav.* dare antequam febris plane devicta esset; imo 12 dies postquam æger *Kinâ* uti cœperat adhuc dicitur in diario nostro: *Le paroxisme ce matin avec délire.*

4° *J. B.*, æt. 20 ann., tertiana recidiva laborans, post emeticum et post frustratum *Opii* usum, semel sumpsit dictos pulveres: paroxysmus sequens prioribus par erat. Datur extemplo *Cortex Peruv.*, et paroxysmus sequens dicitur iterum idem, sed postea desiit penitus.

5° *M. v. M.*, æt. 63 ann., a 5 mensibus laborans febre intermittente varios vario tempore typos observante, et nunc demum a 5 diebus quotidiana facta, sumpsit ter inter paroxysmos pulveres nostros: Prima vice paroxysmus ferme nullus se exhibebat, sed secunda vice fortior erat, prout et tertia; hinc ad *Corticem Peruvianum* confugitur.

6° *J. D. S.*, æt. 19 ann., a 2 septimanis febrem tertianam patiens, bis utitur pulveribus istis: priori vice paroxysmus minor sequebatur, sed post alteram assumptionem iterum observabatur auctus; unde sine ulteriori cunctatione exhibetur *Corticis Peruv. flavi* uncia; inde subsequens accessus minor, nec deinceps rediit.

In nosocomio civico-militari data fuit Bistorta hoc modo: ℞. *Pulv. rad. Bistortæ*, *rad. Calami arom.* ā drachm. iij. *Zinzib.* drachm. j. *Aq. Menth. pp.*

unc. viij. M. sumatur horis appropriatis inter duos paroxysmos.

Mense Augusto hæc ibidem facta sunt experimenta:

Prompte sanati fuerunt sequentes:

1° *Noorloos*, quotidiana jam *6* diebus occupatus. Sumptâ mixturâ febris eum penitus deseruit. Tamen ad arcendam recidivam adhuc semel mixtura repetitur..

2° *Kok*, quotidianâ ab octiduo correpta. Bis sumpsit mixturam et febris penitus cessavit; repetitur deinde adhuc semel mixtura.

3° *Wessenk*, a quotidiana 13 dierum, semel sumendo mixturam, liberatus.

4° *Houtshoorn* a 17 diebus quotidianam patiens. Eodem prorsus modo ac præcedens liberatur

5° *Van Rossem*, quotidiana, a 17 diebus vexatus. Bis sumendo mixturam liber fuit, sed tertiam quoque sumpsit, majoris securitatis causa.

6° *Coppens*, in quotidiana 12 dierum. Secundo die sumens mixturam a febre liber observatur. — 3^{tio} die nosocomium derelinquere debet; *évacué* alio dicitur.

7° *Vercommen* in quotidiana a 16 diebus affligente. 1ma die sumpsit mixturam, item 2da die, sed jam modo deerat insultus, 3^{tia} die: *évacué.*

8° *Branconnet*, a 22 diebus tertiana laborans. Ter sumpsit mixturam, sed jam a 2da die febre liberatus fuit et mansit.

9° *Bauman*, a 16 diebus tertianâ affectus. Bis sumpsit mixturam et protinus convaluit.

Lentius sanati fuerunt :

1° *Uric* a 16 diebus tertiana laborans. Quater debuit sumere mixturam antequam plane a febre liber esset.

2° *De Ronne* a 12 diebus tertianam passus. Etiam quater remedium sumpsit. A 2da die febris modo minor erat.

Solatium aliquod adepti sunt sed non sanati :

1° *Oppenga*, a 6 diebus quotidianam patiens. Quinquies mixturam sumpsit. Febris accessio a 2da jam mixtura minor reperiebatur, sed non disparuit.

2° *Kzer* a 9 diebus quotidiana correptus. Etiam quinies mixtura usus est. Ad quartam repetitionem dicitur febris fuisse minor ; et ad quintam multo minor ; tamen perstitit.

3° *Jamet*, a 13 diebus, quotidiana vexatus. Tres sumpsit mixturas, alternis diebus unam : post primam dicebatur postponens et minor febris ; tamen remedio non cessit.

4° *Audyk*, in quotidiana, 18 ante diebus exorta. Quinies sumit mixturam nostram : post quartam mixturam febris multo minor erat, sed post quintam nulla fiebat mutatio : datur *Cortex*.

5° *Laisnée* ab 18 diebus quotidianâ oppressus. Post primam mixturam febrem minorem experitur ; sumit 2^{dam}, sed nulla jam amelioratio : 4ta die datur *Cortex*.

6° *Rolk*, quotidianâ 20 dierum. Sumit septies mix-

turam; post tertiam mixturam febris minor, item post quintam; manet tamen. Datur *Cortex*.

7° *Engels*, quotidianam 22 diebus perpessus. Sex mixturas sumit: pluries febris minor observatur, ast perseverat.

8° *Brandecort*, in quotidiana a 13 diebus orta. Quater sumit mixturam: post primam febris minor, et post quartam vix ulla observatur.

9° *Beigienk*. In quotidianà a 16 diebus orta. Octies sumit mixturam: post primam et post quartam mitescebat febris, sed permansit.

10° *Folet*. In quotidiana etiam a 16 diebus orta. Tres sumpsit mixturas. Post primam febris desinebat integre, tertia die iterum parva observabatur, quarta die vix ulla, quinta die eadem. Datur *Cortex*.

11° *Bostorus*. In quotidiana a 20 diebus. Bis sumpsit mixturam duobus consequentibus diebus: 2da die notatur: febris minor; tertia (parum præcipitanter sane) transitur ad *Corticem*.

12° *Dupont*. In quotidiana a 12 diebus. Quatuor sumpsit mixturas. Post primam febris postponens et mitior; post tertiam adhuc minor; post quartam adhuc magis postponit, perdurat tamen et transitur ad *Corticem*.

13° *Haasgen*. In quotidiana ab octiduo, quater mixturam sumpsit. Post tertiam vicem febris postponebat; nil frugis dein; contra febris in continuam transiit.

14° *Marryn*. In quotidiana ab 18 diebus, ter mix-

turam sumpsit. Postridie ultimæ sumptionis vix observabatur febris, ast die sequente et ultra febris rediit.

15° *Aumon.* In quotidiana ab 18 diebus, quatuor sumpsit mixturas. Post 2^dam^ febris minor, post tertiam multo minor: dein vero recrudescit.

16° *Lemaire.* In quotidiana itidem a 16 diebus, ter sumpsit mixturam: primâ sumptâ, febris minor invenitur, dein mansit eadem.

17° *Coquetiaux.* In tertiana 11 dierum quater mixturam sumpsit. Post tertiam mixturam febris minor evasit.

Sequentes nullum ex mixturæ hujus usu solatium habuére:

1° *Rycker* febre quotidianâ affectus a 17 diebus. Ter mixturam sumpsit.

2° *Van den Bosch*, in quotidiana a 12 diebus. Bis sumpsit mixturam.

3° *Zoetemulder*, in quotidiana ab 18 diebus. Ter mixturam sumpsit.

4° *Hermes*, in duplici tertiana, a 6 diebus. Quinies mixtura usus.

5° *Werkhoven*, etiam in duplici tertiana, a 20 diebus. Bis ea usus.

6° *Devenaer*, quotidianâ ab 18 diebus et

7° *Lancke* quotidianâ a 16 diebus affecti. Sed uterque tantum semel sumpsit mixturam.

INTER MINUS EXPLORATA

KINKINÆ

SUBSTITUUNTUR:

1° AMARA *quævis*

Quatenus hæc omnia stomachica et roborantia sunt, in febribus asthenicis sive cum debilitate conjunctis et in recidivis debilitate genitis, non possunt non in remedia febrifuga evadere.

2° AMYGDALUS *amara*. *TOURN.* 627.
Gallice, *Amandier à noyaux amères.*
Belgice, *Bittere amandel-boom.*

Colitur copiose in Gallia australi. Vid. pag. 9. Art. *Amygdali.*

Cel. *Hufeland (i)* contra febres intermittentes commendat, non ùt novum, sed ùt pluribus experimentis D^ni^ *Wiebel* comprobatum remedium, nucleos Amygdalarum amararum. Porrigitur unus alterve nucleus comedendus immediate ante paroxysmum, et febris (ait) vel prima vice vel ad alteram repetitionem remanet, si nullæ speciales causæ remotæ, aut ad alium affectum spectantes, locum habeant.

Cùm remedium hoc adeo vili pretio et adeo facile obtineatur, suadet ut ulteriori experimento subjiciatur et in universum frequentius adhibeatur contra morbos nervorum.... et contra tæniam. Felices in hoc casu successus jam inde sibi notos esse asserit.

Monet idem Auctor sollicitus *(k)*, ut semper cu-

(*i*) ibid. Band. XXIV, p. 168.
(*k*) Ibid. B. XXI, St. III, p. 170.

ram habeamus arcendi recidivas, continuando diu remedia postquam febris sublata fuerit, plus minus pro longiori vel breviori tempore quo febris perstiterit.

Amygdalæ amaræ aliquando contra febres intermittentes pertinaces, Chinchinam eludentes et recidivas potens obtulerunt remedium. Earum Emulsio ad libram unam vel alteram quotidie, silente paroxysmo propinabatur, sed Tartaro tartarisato et Melle mixta *(l)*.

Plura fecimus pericula cum hisce fructibus; verum successus adeo rarus fuit, ut non arbitrer operæ pretium observationes in publicum dare. Id animadverti: eos non contemnendos effectus monstrâsse, ubi simul cum saturato decocto herbæ Marubii albi exhibebantur. Sed tunc plus virtutis attribuebam herbæ isti quam nucleis Amygdali. De hac herba in decursu latius. Animadverti præterea, eos potissimum et sat sæpe succedere, dum dabam pueris nucleos duos omni trihorio, tempore apyrexiæ.

3° AMYGDALUS *Persica. LINN.*
Persica, molli carne. BAUH. pin. 440.
Malus persica. DOD. pempt. 796.
Gallice, *Pécher.*
Belgice, *Persike-boom*, of *Persen-boom.*

In hortis ubique obvia.

Summatim dicam quæ de his habeo ex opere Celeb. *Burtin (m)*. Inaudiverat aliquando Auctor hic, folia et nucleos Amygdali Persicæ specificum adversus intermittentes febres remedium constituere; quocirca præscripsit pauperi viro foliorum ejusdem manipulos duos, per horæ dimidium quatuor libris Cerevisiæ fuscæ fervidæ infundendos, ut colaturam nycthemeri spa-

---

(l) BERGIUS, Mat. med. p. 415 et vid. MURRAY App. med. Vol. III, p. 240 seq.
(m) Ibid. p. 30 seqq.

tio absumeret. Sumpsit iste bis dosim præscriptam et protinus convaluit.

Plusquam viginti febricitantes eo mediante sanati sunt, et vix quartus infit, sine optato effectu illud adhibuit.

D. *Burtin* nucleos longe præstantiores credit, cùm qui primus ipsi remedium hoc communicaverat, hosce pluris faceret quam folia ; cumque pharmacopœus quidam asserat, certam familiam specifici adinstar distribuere contra febres intermittentes pulverem partis lignosæ nucleorum, eadem qua *Cortex Peruvianus* exhiberi solet dosi : nec non quinque secundarum curationum se extitisse testem.

Dedit Auctor duobus tertianariis pulveris hujus unciam unam cùm dimidia, quum jam ante vomitorio et purgante prædispositi essent ; ambo absque recidiva optimæ valetudini restituebantur. Postea adhuc similem febrem unica pulveris foliorum uncia profligavit.

4° ANGELICA *sativa.* Vid. Art. COSTI VERI.

Tota planta est penetrantissima, aromatica, imprimis semen et radix, stimulans et resolvens, hinc sudorifera.... liquet cur quibusdam laudetur contra intermittentes febres ; infit *Rieger* (*n*).

5° AQUA CALIDA, seu BALNEA CALIDA.

Quidquid hac super re desiderari quiret, invenitur in *Dictionnaire universel de médecine* inquit D. *Girard* (*o*). Auctor hic sequentia adducit exempla :

1° *Rochau*, æt. 24 ann., tertianâ cujus paroxys-

(*n*) Ibid. T. I, P. II, p. 552.

(*o*) *Annales de la Soc. de méd. prat. de Montpellier. T. VIII*, *p.* 32.

mi ultra 9 horas durabant, affectus, locum uliginosum habitans, vomitorium, laxativa, febrifuga et fortes *Cinchonæ flavæ* doses sine emolumento sumpsit. Mense Julio œdema universale, abdomen valde voluminosum, aversio à cibis, febris semper pertinax. Suadebam ait D. *Girard*, ut æger semihora ante paroxysmi invasionem se balneo tepido committeret et in eo horæ spatio maneret. Horripilatio vix notabilis erat, dein tranquillo somno indulgebat. Postridie convalescentia evidens. Tertio die reiterabatur balneum, et febris non ingruebat, sanitas vero propediem perfecta observabatur.

2° Filius *Navalet*, æt. 11 ann., febre tertiana regulari corripitur mense Septembri, *Kinâ* frustra utitur. Præscribit Auctor balneum ùt supra. Primo balneo febris omnino supprimitur: tamen æger adhuc tria balnea adhibet ut foret tanto securior.

3° Idem accidit filio *Flacheron* mense Nivose anni XIII.

4° D. *Veuilles* trigenarius, mense Prairial an. XII, secundo febris tertianæ paroxysmo adeo terribili prehendebatur, ut D. *Girard* illico illi *Kinam Kinam* præscribiret; febris disparebat; sed 12mo mensis Messidor sub typo quotidianæ redibat. Quatuor balnea tepida modo superius dicto administrata eum protinus liberabant.

Antequam usum balneorum adhibere cœpi, adjicit Auctor, præscripsi ejusmodi febricitantibus pediluvia, semihora ante invasionem paroxysmi; semper infringebatur violentia, et semel febris tollebatur juveni, cùm esset tertiana omnino levis.

Plures observationes inutiles evaderent. Legi merentur quæ D. *Leveque* de se ipso scribit: Summum uti-

litatem retulit ex balneorum tepidorum usu in febre intermittente perniciosa cardialgica *(p)*.

6° AQUA GELIDA.

De aspersione Aquæ gelidæ legi possent quæ habet *James Currie*, qui uno experimento (eoque sat æquivoco) eam commendare nititur *(q)*. Cum remedium hoc non approbem, nil de eo dicam ultra. Idem est de terrore incusso et de usu flagrorum. De his omnibus loquitur *Rosinus Lentilius* Ephem. N. C. Dec. 2. ann. 6.

7° ARNICA *montana. LINN.*
Doronicum plantaginis folio alterum. BAUH. pin. 185.
Gallice, *Betonie des montagnes*, *Arnique.*
Belgice, *Valkruyd.*

Crescit in Europæ frigidioribus Alpibus et in collibus apricis, pratensibus.

De la Marche (r) dedit pug. j. vel ij. herbæ pro aquæ simplicis vel cerevisiæ mensura una, ast *Rosenstein (s)* pugillos iij. libra una aquæ coqui jubet. Infusum florum paratur ex eorumdem drach j. ad unc. semis, cum aq. fervida per dimidiam horam, vase clauso digestorum; accedente ebullitione per medium horæ quadrantem, ut post ebullitionem lib. j. supersit, cui subinde syrupus admiscetur. Aliquando dupla quantitas infusi intra 24 horas consumitur, vasculo uno alternis horis hausto. Datur quoque aliquando electuarium ex drach. ij. vel iij. pulveris et mellis

---

(*p*) *Annales de la Soc. de méd. prat. de Montpellier. Tom. V, p.* 331 *seqq.*
(*q*) *Medical reports on the effects of water cold and warm, as a remedy in fever &c. Liverpool*, 1804. *Vol. I, p.* 31.
(*r*) Diss. de arnicæ veræ usu, Præs. ALBERTI HALLER, 1744.
(*s*) *Huys- en Reys-Apoth. Vert. door* WAUTERS, *p.* 47.

q s., per diem consumendum (*t*). Extractum ex floribus paratum datur aqua dilutum a drach. iij. ad iv. vel vj. per diem.

Collin (*v*) febres intermittentes omnis typi numerosissimas sanavit: sic asserit se sanavisse extracto florum Arnicæ 38 quotidianarios, 46 tertianarios et 58 quartanarios. Febres hæ juxta *Murray* (*u*), ex quo hæc desumo, vel fomite putrido, vel manifesto visceris alicujus infarctu, stipatæ erant. Igitur et ab antiseptica et a resolvente eorum vi multum sperari potuit. Subinde tamen viscerum obstructiones remanent, febre sublata; unde probabile, ipsum characterem nervis vel horum origini impressum, iisdem deleri.... Sæpe ad recidivas arcendas sufficit Arnicam cum levi aromate conjungere.

In Dania rustici infusum saturatum florum duabus ante instantem paroxysmum horis ingerunt eoque febrem fugant; quod experientiâ a Cel. *Aaskow* institutâ eumdem effectum habuit (*w*). Satius tamen est dicit *Murray*, intermissionis tempore partitis dosibus flores dare. Imo quartanæ duplicatæ et triplicatæ medentur ope syrupi Cort. Aurant. in electuarium redacti, quod quater per diem ad magnitudinem Nucis Moschatæ capitur; subsequâ tamen sæpe cardialgiâ; quæ enemate, carminativis et præcipue Opio facile tollitur. Præferendum electuarium decocto juxta *Stoll* (*x*). Nec terrere debet cardialgia, nam qui eam præsertim a largiori dosi, strenue tulerant, tanto certius a febre liberati fuerunt. (*y*).

Specificam vim febrifugam Arnicæ tribuere, medicus Suecus ex sua praxi, non dubitavit, qui profusos su-

---

(*t*) COLLIN, Ann. med. tert. p. 4.
(*v*) Observ. circa morbos acut. et chron. P. V, p. 94.
(*u*) Ibid. Part. IV, p. 107 seq.
(*w*) Soc. med. Haun. Coll. Vol. II, p. 166 seqq.
(*x*) Rat. med. Vol. III, p. 168.
(*y*) Conf. casum in Act. R. Soc. med. Haun. Vol. I, p. 347.

dores inde observavit (z). Præsente placenta sic dicta febrili, vix ulla præstantior medela est (a).

Neque tamen reticendum, Cel. *Donald Monro* sanationem febrium intermittentium, quam in militibus tentaverat ope Arnicæ, ex voto haud successisse.

In nosocomio nostro civico capta sunt experimenta n° XI, in febribus intermittentibus autumnalibus varii typ. In duobus casibus videtur attulisse tantillum frugis, sed dubiæ; cum simul alia febrifuga ei adjungerentur. Mulierem sexagenariam temperamenti sanguinei, febre quotidiana, a 2 mensibus recidiva, laborantem, liberare visa est. Post emeticum et purgans ob fomitem gastricum data, bis sumpsit apyrexiæ spatio pulveres hos: ℞. *Pulv. flor. Arnic.* drach. ij. *Flor. cam. rom.* unc. sem. *Sal Absynth.* drach. j. M. f. dos. vj

Hoc pacto sanata fuit.

In quotidiana una et in quartana una bis vel ter sumpti pulveres isti, evidens solamen attulerunt. In reliquis quæ etiam natura sua rebelliores erant, nequaquam juvit.

Licet Arnica hic aliis febrifugis fuerit adjuncta, equidem statuere valemus, ab ea non multum boni in his febribus expectandum esse.

8° ASARUM *Europæum.* Vid. Art. IPECACUANHA.

Item vide *Acta med. Berolin. Dec. I*, *P. IX*, *p.* 37. Item: HALLERI, *Hist. Stirp. indig. Helvetiæ. T. II*, *p.* 253.

9° AURANTIORUM *Cortices.* Vid. Art. AURANTIA *dulcia.*

" Corticibus Aurantiorum quorum vim contra quar-

(z) Veckoskrift för Läkare. Vol. VIII, p. 125.
(a) KAUSCH, L. C. p. 35.

„ tanas alibi dubiam proposui, nuper bis quartanam „ fugavi, data drachma pulveris tertia quaque hora. „ Primus paroxysmus statim ab eo remedio mitescebat, et, continuato usu, sensim cessabat febris, „ nondum chronica. In aliis quartanis pluribus tentatum voto nondum satisfecit", ait *Werlhof* (*b*).

BALNEA CALIDA, vid. AQUA CALIDA.

10° BILIS PORCINA.

D. *Cazals* hanc adhibuit contra febres intermittentes simplices, in quibus ut ait (*c*), egit fere semper *tuto et cito*, data post evacuationes solitas, sub stadio frigoris.

Jta procedebat: imponebat bilem suâ vesiculâ adhuc conclusam ligoni candefacto. Erumpit illa, et in scyphum boni vini recepta, ebibitur. Raro, addit, febris simile remedium illudit

Experientia ipsum docuit, nullum febrifugorum hactenus contra febres intermittentes usitatorum minus fallax esse, (excepto Cortice Peruviano). Ex decem febricitantibus experimento submissis, octo protinus absque recidiva sanati fuêre; paroxysmi duorum aliorum sensibiliter diminuti observabantur, et verosimiliter fuissent plane extincti, non obstantibus quotidianis in regimine vitiis, si ægri remedio insistere voluissent.

Est hocce remedium quo in hac patria jam fere octo ex annis febres debellantur, quæ Cortici et aliis substantiis resistunt.

Syrupus Fellis parem apud infantes successum habuit. Inserviit sæpe extinguendæ febri, et dissipandis infarctibus obstructionibusque systematis abdominalis,

---

(*b*) Op. med. Hannoveræ, 1775. p. 750.
(*c*) *Annales de la Soc. des méd. prat. de Montpellier. Tom. XVIII*, p. 209 *seq.*

frequentibus febrium protractiorum sequelis". Hæc asserta D.ni *Cazals*.

11° CALENDULA. *LINN.*
. . . . *DOD. pempt.* 254.
Caltha vulgaris. BAUH. pin. 275.
Gallice, *Souci.*
Belgice, *Goudbloem.*

Colitur in hortis.

" Vinum album in quo septem grana *Calendulæ* trita fuerant, ante paroxysmum epotum, repetito aliquot diebus haustu, ut scribit *Misaldus* ubi de solsequio (*d*), quartanam et quotidianam solvit".

12° CENTAUREA, *Calcitrapa. LINN.*
Carduus stellatus, foliis papaveris erratici. BAUH. pin. 387.
Carduus stellatus. DOD.
Gallice, *Chausse-trappe.*
Belgice, *Sterre-distel.*

Habitat in Gallia etiam in regionibus ejus septentrionalibus (*e*), secus vias, in locis sabulosis et saxosis.

D. *Chrestien* eam per plures annos cum succesu administravit in nosodochio militari ad curandas febres, ait D. *Figuier* (*f*). Doctus hic Chemiæ Professor analysim ejus exhibet, et tandem addit (*g*): " Analysis chemica quadrat cum proprietatibus medicinalibus quæ vegetabili illi tribuuntur: salibus, præcipue acetati potassæ, attribuenda vis resolvens, aperitiva et diuretica; virtus febrifuga materiæ re-

(*d*) Vid. J. HEURNII, Op. Lugduni, 1658. T. II, p. 69, Col. 2.

(*e*) *Vid. Flore du nord de la France, par M.* ROUCEL, *Paris*, 1803. *Tom. II*, *p.* 268.

(*f*) *Bulletin de pharmacie*, *N° V*, *prémier. ann.*, *Mai* 1809, *p.* 194. In Nota.

(*g*) Ibid. p. 198.

sinósæ : fieri potest ut hæc proprietas augeatur miscelâ hujus cum salibus ; murias potassæ inter remedia antifebrilia numeratur sub nomine salis febrifugi Sylvii ".

D. *Roucel* flores in scopum nostrum potissimum adhiberi refert. " Tota planta amara est. Corticis radi-
„ cis drachma una cum aqua infusa in Gallia febri-
„ fugam virtutem habere putatur", inquit *Hallerus* (*h*).

130 CENTAURIUM *minus*. Vid. Art. GENTIANÆ, N° 2.

Post Cinchonam inter optima febrifuga habetur ; ulterius tonicum , stomachicum et vermifugum est. Sapor ejus omnium amaricantium herbarum maxime sapori Corticis Peruviani similis est.

Amarities herbæ major est quam summitatum , quoniam corollæ hisce insidentes omnino fere insipidæ (*i*) sunt. Spiritus vini unice partes amaras eruit ; aqua autem simul mucilaginosas : unde prioris generis extractum magis amarum , sed quantitate parcius.

In febribus intermittentibus inclyta, unde *Herba febrifuga* apud Germanos audit.

Unica planta est quæ juxta Auctores æstimatissimi operis *Dict. raison. univ. de mat. med.* , famam suam post introductum Corticem Peruvianum non amisit , et quæ Camomillæ unita febres intermittentes Kinâ ipsâ certius debellat Quod certe exageratum.

Rolandus quoque et *Marchant* ejus vires extollunt. Ipsi quartanæ , casu singulari herbam hanc opposuit *Slevogt* (*k*) summo cum levamine , nec sine spe integræ sanationis , nisi aliam medicationem addere jussisset ægri impatientia. Videtur operari potissimum

---

(*h*) Hist. Stirp. Helvet. T. I, p. 84

(*i*) LEWIS, Mat. med. p. 193.

(*k*) Progr. de Cent. min. p. 5.

roborando et obsructiones viscerum reserando, nam obsructionum causa maxime vulgaris in vasorum laxitate latet.

Compertum habemus hanc plantam recentem non secus ac ejus extractum et decoctum leviter alvum ducere, et horum ultimum præsertim aliquando vomitum vel nauseam excitare. Effectus hi nonnunquam conducunt præprimis in febribus intermittentibus. Si tamen eos impedire placet, sufficiet a parca dosi ordiri aut præparatis ejus quidpiam Opii adjungere.

In nosodochio charitatis Parisiensi Centaurium magni fit; sed efficaciam ejus experimentis illic institutis exacte metiri nequimus, quandoquidem ei addantur alia remedia, nominatim infusum Chamædryos. Unum tamen exemplum allegare non piget. *Fromont* æt. 21 ann., temperamenti lymphatici, nullis incommodis anterioribus subjectus, 14ta mensis Augusti ultimo præteriti corripitur doloribus contusoriis dorsi, capitis, extremitatum, nec non horripilationibus vagis calore intermixtis, et lassitudine universali. Quinque sexve diebus sequentibus qnotidie similia patiebatur. Rarissimi erant sudores, et semel dumtaxat levis adfuit nausea. Vesperi semper pejus se habebat quam reliquo diei spatio. Die morbi 6to vel 7mo incipit febris typum assumere tertianarium et talis perseverat usque ad 17^{mum} diem morbi, primum autem introitûs ægri in nosocomium: jam os glutinosum, lingua crustâ albâ obducta, appetitus minutus, aliæ functiones naturali in statu. Porrigitur mane vomitorium: eodem die circa meridiem accessio, sed minus fortis præcedentibus: calor etenim valde moderatus. Die morbi 18va præscribitur bis in die scrupulus unus *Centaurii minoris* et infusum Chamædryos. Die isto præter consuetudinem vesperi paroxysmus completus. — 19na morbi die: eadem cura, nulla accessio, sed aliqui dolores colici. — 21ma omnia eadem. — 22da sanatio perfecta.

Si Centaurium solum sive sine adjunctis exhibere

libet, dosis herbæ vel summitatum pulverisatarum est a drach. semis ad unam in substantia; in infuso vel decocto duplum adhibetur. Si planta recens sit, datur ad pugillum vel semi manipulum pro libra una decocti aut vehiculi. Præparatur ex eo extractum, quod juxta *Bartholinum* summe febrifugum est.

Hic etiam locare potuissem *Gentianam* quæ eodem modo operatur. Succo hujus bis vel ter *Gesnerus (i)* tertianas illico tutoque sanavit. Radix pariter rusticis Alpinis et Montanis in Alvernia sæpissime contra febres successit *(k)*. Cortici Quercûs nupta febres intermittentes debellavit, contra quas neque amara, neque adstringentia seorsim exhibita, quidquam valuerant *(l)*.

Superius vidimus quid extractum Centaurii minoris cum lacte Amygdalarum amararum nuptum contra febres intermittentes valeat.

CERASUS *sylvestris*. Vide PRUNUS *avium*.

14° CORNUS *Florida Americana*.

Hæc *Cornûs* species quam Anglo-Americani *Dogwood* vocant et Galli *Bois de chien*, etiam hic coli potest juxta *Baumes (m)*.

Cortex hujus arboris est vehementer amara et adstringens. Medici Virginiani perhibuêre mihi (addit), se hunc Kinæ deficientis loco adhibuisse magno cum successu. Notitiam effectuum ejus febrifugorum Sylvestribus acceptam referre debemus. Flores eidem scopo inserviunt ac Cortices apud populum Aborigenensem.

(*i*) Epist. Lib. II, p. 63.
(*k*) CHOMEL, *Pl. usuelles. T. II, p.* 237.
(*l*) PERCIVAL, *Essays med. and experiment. Vol. I, p.* 65.
(*m*) *Annales de la Soc. des méd. prat. de Montpellier. Tom. VIII, p.* 59. In Nota.

15° DULCAMARA. Vid. Art. SARSÆPARILLÆ.

Collin (*n*) dixit et exemplis probavit, illam in quartanis præstans esse remedium; *Sauvage* et *Rasoux* idem testantur (*o*).

16° FERRI SULPHAS.

Proprietates ejus roborantes suadent, remedium hoc non inutile accidere in febribus intermittentibus quæ debilitatem et inertiam organorum digestivorum comites aut causas habent. Observationes D.ni *Marc* id demonstrârunt. Administravit illud sex febricitantibus, et semper obtinuit completum promptumque effectum, sine ullis incommodis subsequentibus.

1° *Stephanus* **, æt. 32 ann., temperamenti cholerico-sang., a 2 annis, febribus intermittentibus varii typi conflictatus, septem menses his liber fuerat, dum mense Julio ultime elapso quotidiana mox in tertianam versa corripitur: varia remedia etiam Kinakina ferme inutilia observantur. 11ma Octobris præscribit D. *Marc* Sulphatis ferri gr. xxxv. in aq. lib. ij. dissolvenda et 4 dosibus danda, intra duos dies; sive dantur quotidie duo scyphi, continentes singuli fere iv. grana. Postridie paroxysmus longior; tertio die et usque ad diem paroxysmi continuatur remedii usus; sed nullus dein paroxysmus apparuit. Tamen per octiduum adhuc remedio insistitur.

2° *Catharina* **, æt. 30 ann., coqua, cælebs,

(*n*) Ann. med. tertio, Part. I, p. 53 seq., item 189.
(*o*) *Mém. de l'Acad. des Sciences, an* 1761.

aliquatenus chlorotica, laborat quartanâ. Datis lib. ij. Dissolutionis prædictæ, febris protinus disparuit.

3° *Roussel*, æt. 40 ann., operarius, temperamenti phlegmatici, debilis, a trimestri primum tertiana nunc quartana affectus. Idem remedium, eædem doses. Duo primi scyphi dabantur pridie paroxysmi: hic postridie ingruebat sine horripilatione et brevis erat durationis. Quaque dein apyrexiæ die dabantnr tres scyphi sive gr. xxvij. *Sulph. ferri.* Sic febris, et brevi etiam quæ aderat corporis intumescentia, disparuêre.

4° Duodecim post diebus *Roussel* se exponendo frigori humido, recidivam partitur. Recurritur ad idem remedium: sumit æger proprio errore drachmam integram *Sulphat. ferri* libris duabus aquæ diluti. Nil mali inde percipit; contra, *un appetit d'enfer*, ùt fatur. Supervenit alvi fluxus. Hoc cessante, reditur ad idem remedium et sumptis gr. LIV. in tribus scyphis aquæ solutis, febris disparet sine recidiva; sed adhuc aliquamdiu dantur quotidie duo scyphi sive xxxvj. grana, nec non subinde infusum *Centaurii min.*

5° Infans decimestris sumens indies circiter grana sex hujus Sulphatis, tribus partita dosidus, duobus consequentibus apyrexiæ diebus, quartanam prorsus superat; at per sex dies remedio insistitur

6° Dominus **, æt. fere 24 ann., tertianam superavit, sic ut tantum tres accessus passus fuerit, postquam remedio uti cœperat.

Itaque remedium semper successit; sed D. *Emonnot* egoque eundum successum adepti non fuimus: dedit vir ille idem remedium in febre duplici tertiana rebelli, et solamen quidem sat evidens, sed percurationem

non obtinuit; prout retulit *Societati Scholæ med. Parif.* (p).

Mense Martio hujus anni 1809 tractabam ego ancillam D.ni *V. B.*, æt. circiter 21 ann., temperamenti sang., in febre duplici tertiana. Autumno ultimo adhuc laboraverat simili febre, quam *Cortice Peruv.* sanaveram; ex eo tempore se optime habuerat. Hac vice ob levem cruditatem gastricam primum præscripsi vomitorium, ac postea per duas septimanas et ultra *Emulsionem Amygdal. Centaur.*, etiam tandem cum aliis extractis amaris; eo dumtaxat cum fructu, ut initio paroxysmi non vehementia sed duratione minuerentur: tandem vero febre pertinaciter eodem in statu perseverante, præscripsi *Sulphas ferri*, methodo et dosi Domini *Marc.* Ex primis xxxvj. granis biduo sumptis, nulla mutatio observabatur: ex xxxvj. granis sequentibus diebus datis, paroxysmi æque vehementes et æque diuturni semihoram anteponebant. Tum de successu desperans, præscripsi tandem Decoctum florum Matricariæ Camomillæ, quo paroxysmi mox postponere et infirmari cœperunt; sed cùm brevi iterum nullus fiebat ad sanationem progressus; dato *Cortice* illico febris aufertur.

17° FRAXINUS *excelsior. LINN.*
Fraxinus excelsior. BAUH. pin. 416.
Fraxinus. DOD. pempt. 771.
Gallice, *Frène.*
Belgice, *Esschen-boom.*

Abundantissime apud nos crescit et plantatur in aggeribus ad rivos fluviosque.

Cortex ejus amarus, adstringens, roborans est. Decoctum amarum acremque saporem habet. Uncia una Corticis præbet extracti aquosi drachmas tres; eadem

(p) *Journ. génér. de la méd. T. XXXIV, p.* 69.

vero quantitas extracti spirituosi unciam dimidiam cum granis triginta, cujus resina pura viridis est. (*q*). Solutionem vitrioli martis nigram reddit. Ulteriorem analysin chemicam exhibuit *Helwich* (*r*). Extractum ejus Garayana methodo paratum et aqua solutum carnem bubulam et coagulum sanguinis a putredine in temperato calore diu præservat, imo diutius quam sal sic dictum essentiale Corticis Peruviani (*s*).

Eligatur cortex ex trunco arboris vetustioris vel ex ramis crassioribus, in quorum superficie magnæ et profundæ fissuræ ac sulci conspiciuntur et a musco et epidermide liberetur.

Ultra merita hunc corticem febrifugum extulisse videntur *Pins*, *Deckerus*, *Sponius*, aliique quorum nomina et scripta citat *Hellwigius*, quibus ipse accedit, propria et peregrina in Batavia, Dania, Anglia, Gallia, experimenta per itinera sibi obvia allegans. Ante detectum Corticem Peruvianum multis in intermittentium febrium curatione in usu fuit, sed plerumque tam multa alia medicamina ei adjunxerunt, ut quidnam potentiæ Fraxino insit exinde nequaquam pateat.

D. *Burtin* præscripsit hunc Corticem in febre tertiana, eadem dosi qua Corticem Peruvianum præscribere solebat, et febris absque recidiva ablata fuit: licet id temporis post Corticis Peruviani usum recidivæ frequentes occurrerent. D. *J. A. Murray* in suo excellentissimo Opere *Apparatus medicam.* (ex quo quam plurima excerpsi et hæc de Fraxino fere omnia) doses limitat ut sequitur:

In pulvere infit, paroxysmo elapso drachmam ejus dimidiam quovis trihorio dare confert, vel aliis intervallis, modo inter duos paroxysmos drachmæ tres consumantur, donec æger unciam unam et dimidiam inges-

(*q*) COSTE et WILLEMET, ibid. p. 64.
(*r*) Diss. de Quinquina Europæorum. §. 16. 18.
(*s*) BUCHHOLZ, Chym. Versuche, p. 88 seqq.

serit, et ne febris redeat, subjungere unciam dimidiam diebus insequentibus opus est. Commendandus quoque est hic cortex forma electuarii cum conserva Rosarum vel syrupo Cinamomi vel alio grato, in infuso cum vino rubro, vel in pilulas cum mucilagine gummi Tragacanthi redactus *(t)*.

Vim febrifugam nuper confirmatam comperimus tentamine facto in duodecim ægris, quorum quidem quatuor quartana afflictis nihil auxilii attulit, sed octo convaluerunt drachmas duas corticis Fraxini pulverisati in cyatho decocti foliorum ejusdem, melle vel saccharo dulcificati, capiendo; primis tribus diebus omni quadrihorio, dein bis modo per diem *(v)*.

Dissonat ab hisce haud parum Cel. *Torti (u)*, qui corticem Fraxini semper aut fere semper incassum exhiberi persuasum cupit; et *Linnæus* dixit *(w)*: " Fra-,, xini cortex, Chinæ succedaneum longe inferius ".

18° GELATINA ANIMALIS.

Diarium medicum Parisiense diversis locis innuit, quid de virtute febrifuga hujus subtantiæ censendum sit. Præcipua argumenta desumi possunt ex relatione Commissionis denominatæ ad indagandam virtutem illam *(x)*: triginta sex febricitantes a Commissione ad experimenta admissi sunt, et D. *Hallé* iis junxit 23 alias observationes a variis Practicis obtentas; insuper adjungenda quæ adfert D. *Gilbert (y)*; sed prius videamus in quo præsidium hocce consistat. Est autem sequens :

(t) HELLWIG, ibid. §. 24.
(v) COSTE et WILLEMET, ibid. p. 64.
(u) Therapeut. spec. p. 19.
(w) De februm intermitt. causa. Lugduni Bat., 1745. p. 56.
(x) *Journ. génér de la méd. T. XIX, p.* 336 *seqq.*
(y) *Même Journ. T. XVII, p.* 5 *seqq.*

℞. *Collæ animalis opt. et pellucid.* lib. iij.
Aq. côis. lib. xv.
Dissolv., albumine ovi clarifica, filtra per linteum, et colat. add.
Sacchar. lib. iij.

F. leni igne evaporatio ad remanentiam unius quintæ sive trium librarum aquæ; sic ut Gelatina hæc jam constet æquali portione aquæ, sacchari et collæ. Infunde illam adhuc calidam in formam vitream marginibus elevatis, unius pedis quadrati; et ubi coierit, exsiccetur super planum ex filis ferreis, ad pollicis quadrati distantiam cum invicem contextis; sic habebis tabellas ponderis duarum drachmarum.

Ingruente horrore febris intermittentis porriguntur unciæ iv. vj., quæ deviduntur in tres doses, quarum una datur omni decimo horæ minuto.

Considero hic tantum virtutem Gelatinæ antifebrilem, quo solo respectu Kinkinæ substitui posset; et dico, experimenta Commissionis prædictæ docuisse Gelatinæ usu

1° Mitigari frigoris febrilis stadium nec non symptomata illud concomitantia, accelerari calorem sudoremque.

2° Terminationem aut curationem febris, etiamsi semper istam frigoris mitigationem præviam habeat, nequaquam huic favori sive frigoris mitigationi proportionatam esse; generatim nec presso pede hanc excipere, e contrario sæpe adeo tarde, ut conjectare licuisset, Gelatinam hanc nil quidquam attulisse. Hoc, et quasdam circumstantias ex se febris extirpationi faventes intuiti Commissarii, judicaverunt in aliquibus suarum observationum febres solis naturæ viribus fuisse sanatas.

3° Aliquoties tamen febris sat promte ablata fuit;

aliquoties supradicta symptomatum diminutio constantem progressum faciebat usque ad perfectam accessionum extirpationem; aliquoties tandem auctâ Gelatinæ dosi, sat subito febris cessabat, ut illi effectus hic potuisset adscribi. Considerationes hæ junctæ cum conspirantibus similibus phænomenis visis in magno numero variorum casuum, quos, computantes solum magis sigillatim enarratos, ad 24 vel 25 extendere possumus, concludere est, Gelatinam probabiliter se in his casibus ceu utile febrifugum præbuisse.

4° Eam tamen nullatenus cum bona Cinchonæ officinali esse comparandam.

D. *Seguin* (z) asserit, se 41 febre intermittente affectos sanasse, illis dando ante invasionem paroxysmi tria albumina ovorum aquâ tepidâ diluta, addito pauco sacchari. Si remedium juvaturum est, non secus ac Gelatina, mox a primis accessibus levamen affert; sed si id non fiat, tam uni quam alteri remedio supersedere licet.

D. *Double* describens constitutionem medicalem primi trimestris anni 12^{mi}, ait (a): " Febres intermittentes solito rariores fuisse, et minus pertinaces: sat facile cessisse diluentibus leviter tonicis et hæc subsequentibus evacuantibus emeticis et purgantibus; vix unquam parvis Kinæ dosibus opus fuisse..... Usus Gelatinæ (addit) quem in aliquibus casibus tentavimus, complete et constanter spem fefellit ".

19° GEUM *urbanum* LINN.
Caryophyllata vulgaris. BAUH. *pin.* 321.
Caryophyllata. DOD. *pempt.* 137.
Gallice, *Benoite*.
Belgice, *Nagel-kruyd*.

(z) *Journ. de méd. &c. Janvier* 1809. *p.* 42.
(a) *Journ. génér. ibid. p.* 60.

Planta perennis, vulgatissima ad sepes et in umbrosis.

Verno tempore, si solo sicco creverit et recens sit, caryophylaceum odorem spirat, et sapor ejus similis est; in quo tamen austeritas et amarities haud mediocris prævalent. Siccata radix aromate suo ad sensum privatur. Certe ad ejus jacturam præcavendam cave, ne nimio calore eam exsicces; nam una cum eo vim febrifugam sufflaminari affirmatur *(b)*. Crassior pars radicis præstantior est fibris *(c)*. Præstat verno tempore et locis montanis collecta *(d)*. Ejus analysin dant Celeb. *J. A. Murray* (*e*) et D. *Bouillon la Grange (f)*. Jam dudum constitit ad febrem intermittentem tollendam facere. Nimirum radicis uncias duas vel herbæ integræ manipulum unum in aquæ fontanæ vel zythogalæ libris duabus decoctum, ad quartæ partis consumptionem, adversus has febres præsertim tertianas, duabus horis ante paroxysmum vel in ipso paroxysmo, optimo cum successu propinari solere, jam ante seculum fere notatum ab *Hulse (g)*. *Chomel (h)* in febribus intermittentibus radicem dedit ad manipulum unum in vino coctum, ingruente frigore; " Sudor citius et abundantius prorumpit et febris promptius curatur ", ait.

Ill. *Franck (i)* describens morbos qui anno 1804 in Provincia Posnaniensi grassati fuerant, mentionem injiciebat febris intermittentis valde benignæ mense Martio et Aprili, admodum vero malignæ et epidemicæ mense Junio exeunte, quæ sub finem Augusti in spo-

---

(*b*) BUCHAVE. Obs. circa radicem Gei urb. 1781. p. 20, not. 11

(*c*) Idem, ibid, p. 26.

(*d*) WEBER et KOCH, Diss. de nonnullorum febrifug. virtute et speciatim de Gei urb. radicis efficacia. Kilon, 1784.

(*e*) Apparat. med. T. V, p. 123 seq.

(*f*) *Journ. génér. de méd. T. XXIII, p.* 180 *seq.*

(*g*) RAY, Hist. plant. T. I, p. 607.

(*h*) *Plantes usuelles. T. II, p.* 463 *seq.*

(*i*) Vid. Journ. der practischen Heilkunde von C. W. HUFELAND. Band XXIV, St. IV.

radicam typo quartanario grassantem et sæpe affectibus asthenico-chronicis complicatam convertebatur... Optime cedebat cura ope *Corticis regii* aliquo aromate et Opio maritati. Sed magno hujus corticis pretio nec non ejusdem mangonio inductus *Frankius*, succedaneum quærendum autumabat. Multiplicibus experimentis confirmabatur infit (*k*), radicem *Gei urbani Linn. Cortici regio* in intermittentibus et universim ubicumque hic cortex indicatur, proficue et efficaciter substitui posse.

Porrigebatur decocti vel pulveris forma; quo tamen omnes intermittentes facile et feliciter tolleret; volatilibus irritantibus ut acueretur necessum erat. Germanis (addit) hæc valde potens indigena planta jam pridem nota fuit, quamvis ea pro meritis haud fuerit in usu.

Formula sat ordinaria:

℞. *Rad. Gei urban. sicc. et contus.* unc. j.
Coq. in *aq. cōīs* lib. iij. ad remanentiam lib. ij. Adde
Muriat. ammon. drach. j.
Syr. cort. Aurant. unc. j.

M. Detur scyphus vinarius omni hora; citius vel serius, modo decoctum inter paroxysmos absumatur; una saltem hora ante sequentem paroxysmum sive ante solitum paroxysmi initium.

20° GLOBULARIA *Alipum.* LINN.
Thymelæa foliis acutis, capitulo succisæ. BAUH. *pin.* 463.

Habitat Monspelii in sylvis ad rupes et saxosa.

Alipum, docet *Ramel* (*l*), inter febrifuga et tonica

(*k*) Ibid. p. 152 seq.
(*l*) *Journ. de méd. T. LXII, p.* 379 *seqq.*

cumprimis locum habere meretur; in intermittentibus et in quibusdam remittentibus, constantem edidit effectum..... innumeris ait, vicibus illud ceu febrifugum adhibuimus, tam in hac patria quam ad oras Africæ.

In Africa minorem habuit successum quam in Gallia; febres quas illic impugnabamus endemicæ erant, causæ earum excitantes tota caloris tempestate eas intertinebant, plerumqne solum accedente hieme cedebant.

Sæpissime ceu febrifugo usi sumus Alipo in febribus intermittentibus omnis generis. Agit eodem modo ac Kina unita rheo. Dosis est unc. sem. in duobus scyphis liquidi.

21° LAPPATHUM *acutum*. Vid. Art. SARSAPARILLA, N° 6.

Crebo quoque simplici decocto hujus radicis quartanas sanavi ait *De Beunie (m)*, ipsas etiam quæ Cortici Peruv. resistebant.

22° LICHEN *cocciferus. LINN.*
Lichen pyxidatus, oris coccineis et tumentibus. VAILL. 115. *Tab* 21. *f.* 4.
Gallice, *Lichen coccifère.*

Invenitur in sylvis sterilibus et ericetis in Departemento Lisæ circa Tourhout, Santhoven, &c.

In Thuringia ad febres intermittentes adhiberi legitur apud *Brukmannum* (*n*).

23° LICHEN *furfuraceus. LINN.*
Muscus amarus, absinthii fol. J. BAUH. Hist. 3. *p.* 764.
Gallice, *Lichen furfuracé.*

(*m*) *Ibid. p.* 38.
(*n*) Epist. 57.

Hic Lichen magna donatur amaritie, idcirco febrifugus reputatur et Cortici Peruviano substituitur; inquit D. *Amoureux* (*o*); idem dicit D. *Willemet* (*p*).

24° LICHEN *Islandicus.*

D. *Duffour* M. D. etiam confirmat virtutem febrifugam *Lichenis Islandici*, et asserit se illum constanti successu cum Sulfate ferri et Muriate Ammoniaci pauperibus exhibuisse (*q*).

D. *Marie de St. Ursin* summum Kinæ succedaneum putat remedium sequens: ℞. *Lichenis Island.* unc. sem. *Rubiæ tinct. sativ* drachm. ij. *Carbonatis potassæ* gr. vj. M." Remedium hoc infit Cel. Vir, Cort. Peruv. flav. sapore et colore perfecte refert et experimenta quæ eo instituimus...., testantur illud obtinere eumdem effectum in iisdem circumstantiis " (*r*).

25° MARUBIUM *Supinum. LINN.*
Marubium album vulgare. BAUH. pin. 230.
Marubium. DOD. pempt. 17.
Gallice, *Marube blanc.*
Belgice, *Malcouw*, en *Witte Andoorn.*

Crescit in locis incultis, juxta vias &c.

Cognoscens legendo et experiundo summam resolvendi et roborandi potentiam hujusce herbæ (*s*), consideransque febres intermittentes nonnunquam ex obstructionibus viscerum abdominis pendere etiam non omnino notis; præscripsi saturatum decoctum ejusdem,

---

(*o*) *Recherches et Experiences sur les divers Lichens. Mém. à qui le second prix a été jugé par l'Académie de Lion, en* 1786. *p.* 35.

(*p*) *Lichénigraphie à laquelle l'Académie de Lion a décerné l'accessit en* 1786. *p.* 19.

(*q*) *Gazette de santé*, 1809. *n°* XXIII, *p.* 184.

(*r*) *Gazette de santé*, 1808. *n°* XXII, *p.* 171.

(s) J. J. MANGETI, Bibl. pharmac. med., Colonniæ Allobr. 1703, T. II, p. 213.

manipulum unum scilicet decoquendum omni mane in aq. lib. j. et sem. ad medietatem reducenda. Colatura fortiter expressa jejuno ventriculo unica vice ebibenda. Id consului:

Rosæ IV. ancillæ prænob. D.ni *Kervyn*, æt. 21 circiter ann., tertiana vernali sed pertinaci a duabus hebdomadis laboranti, et ecce sequens paroxysmus minimus erat, hunc subsequens vix sensibilis, et deinceps nullus. Verum cùm ab hoc remedio, ut sanata erat mox abstineret, duas passa est recidivas, quæ etiam illico eidem remedio cedebant.

Deinde duo filii ejusdem D.ni *Kervyn*, *Edmundus* 8 et *Theophilus* 5 annorum, febre simili eaque fortissima correpti, eodem remedio, post unum alterumve eccoproticum, bis vel ter sumpto, etiam valetudini perfecte restituti fuerunt.

Nutrix mercenaria natu minimi infantis ejusdem Domini, laborans primo tertiana quæ dein in quotidianam transiit, eodem remedio intra 10 dies consanuit; paroxysmi autem ex quo decocto utebatur sensim diminuti fuerunt.

Famula cubicularia anno sequente etiam tertianâ afflicta, adhibuit idem hoc præsidium, ac intra paucos dies convaluit. Hanc ego non vidi; erat enim cum tota familia rure, et sponte, tot exemplis docta, ad Marubium confugit; velut ab honestissimo Domino *Kervyn* inaudivi.

Rhedario patris ejusdem Domini, pariter post emeticum et plura purgantia corpore præparato, contra febrem, quotidianam quantum recordor, prædictum decoctum præscripsi; at inutiliter. Postea extracta amara adhibuit, ac tandem Cortice Peruviano non sine difficultate percuratus fuit.

Numerosis aliis febricitantibus *Marubii albi* decoctum præscripsi, sed simul tot alia adminicula ei junge-

bam, ut eorum curationes nihil certi de virtute ejus febrifuga probent. Tempus docebit nos plura (*t*).

26° PASTINACÆ *Sativæ semen.* Vid. Art. de DAUCO *Cretico.*

Schwencke (*v*) refert semen ejus in febribus tertianis laudari; et D. Professor *Fouquet* id in pertinacissima quartana cum fructu adhibuit: *Ansermann* ætatis 30 ann., temperamenti sanguineo-lymph., a 13 mensibus febre quartana laborabat, et in nosocomiis Burdigalens et Pictaviensi successive plurimis medicaminibus etiam Chinchina se usum fuisse referebat, dum 12ma mensis Augusti hujus anni in nosodochium Charitatis Parisiense intrabat. Appetitus vigebat, viscera abdominalia cuncta sana apparebant, color faciei optimus, somnus naturalis, vires pro diuturnitate morbi haud multum dejectæ. — Post usum emeto-cathartici subjicitur usui pulveris *Seminis Pastinacæ*, cujus dosis sensim augetur a scrup. j. ad iv., simul et usui infusi Chamædryos. Paroxysmi sub eodem typo, eodem vigore persistebant usque ad finem Augusti, ubi mitescere cœperunt; ineunte autem Septembri, penitus disparuerunt. Tum æger adhuc aliquot dies in nosocomio detinebatur, ne *Pastinacæ* usui justo citius valedixisset.

27° PENTAPHYLLI *radix.*

HIPPOCRATES dicit: " Si febris tertianæ quarta „ occasio prehendat, medicamentum deorsum purgans „ dato. Quo si opus non esse videatur, Pentaphilli „ radicem exhibe".

28° PRUNUS *avium.*

(*t*) Ex tempore quo hæc scripsi, aliæ observationes non paucæ Marubii laudem æquam ostenderunt.

(*v*) *Kruidkundige beschryving*, s'*Gravenhage*, 1766. *p.* 82.

Cerasus sylvestris, fructu rubro et nigro. BAUH. hist. 1. *pin.*
Cerasus major sylvestris, fructu subdulci nigro colore inficiente. BAUH. pin. 1539.
Gallice, *Prunier-Mérisier; Cerisier des bois.*
Belgice, *Wilde zwarte Kriekeboom.*

In sylvis, sepibus et triviis obvia.

Cortex medianus ad febres intermittentes commendatur, pariter ut Peruvianus ille (*u*): utinam eadem fide, addit *Hallerus* (*w*).

29° PRUNUS, *Padus. LINN.*
Cerasus racemosa sylvestris, fructu non eduli. BAUH. pin. 451.
Cerasus avium vel *Pseudoligustrum. DOD.* 1219.
Gallice, *Putiet.*
Belgice, *Vogel-kers* of *Honds-kaars* of *Wilde Syringe.*

D. *Gerhard* non modo quatenus febrifugum, sed et quatenus stomachicum tonicumque hujus arboris corticem Cortici Peruviano analogum esse probavit. D. *Bagard* quoad vim febrifugam idem observavit; confirmârunt DD. *Coste* et *Willemet.*

Dosis in pulvere drachma una, vel plus si res urgeat et copia non terreat ægrum: reiteratur dosis tempore apyrexiæ pro necessitate (*x*).

30° PRUNUS *Spinosa.* Vid. Art. ACACIA, pag. 1.

D. *Burtin* optime gnarus quod in Germania cortex hujus arboris in febribus intermittentibus bono cum suc-

(*u*) Vid. CONSTANT, Præf. ad med. Helv.
(*w*) Hist. Stirp. indig. Helvet. T. II, p. 28, N° 1082.
(*x*) Hæc et plura alia ex Epitome BURTIN, redactore et interprete P. E. WAUTERS. Gandæ, 1785.

cessu exhiberetur, tribus ægris illam in pulvere præscripsit ad dosim drachmarum sex, ut sumeretur drachma una omni bihorio diebus liberis. Omnes tres intra octiduum sanati fuerunt. DD. *Coste* et *Willemet* eumden nacti sunt successum in quatuor febricitantibus, quorum binis exhibuerunt duas drachmas pulveris prædicti in decocto, bis indies sumendo: alii sesquidrachmam in substantia, unicâ vice semihorâ ante paroxysmum sumendam; quarto denique drachmam unam in substantia sextis sumendam horis. Jam dudum febrifugam hujus virtutem *Sloane*, *Kniphoff*, *Nebel* et alii plures observarunt *(y)*.

31° QUERCUS *Robur. LINN.*
Quercus cum longo pediculo. BAUH. pin. 420.
Quercus. DOD. pempt. 823.
Gallice, *Chêne.*
Belgice, *Eyken-boom.*

Vastissimæ ubique sylvæ ex iis componuntur.

Secundum *De Haen (z)* vi sua adstringente cortex Quercûs febrim abigere posset, additque: "Ruri profecto qui aptis præsidiis carent, vires *Corticis Quercûs* aliorumque adstringentium hunc in finem innocue explorare posse videntur". Et ante: "Prodesse ejusmodi remedia egregie queunt, quando ægri a febre debilitati sunt, aut ex propria diathesi solida flaccidiora, aquosiores humores nervosque simul valde irritabiles habent. Roborantur quippe hinc solida, fluida condensantur; hominesque hoc pacto vel febrim melius sustinent, vel irritabilitate imminuta, novo vix afficiuntur insultu".

Jam ineunte seculo 18vo, Cell. *Reneaume* et *Homberg* Gallas (sive producta et domicilia Cynipis Quer-

(y) BURTIN, *Mém. couron. p.* 137.
(z) Rat. med. Vol. III, p. 231.

cûs folii *Linn.*, sive tubercula quo insecta illa in foliis, petiolis, pedunculis, ramulis, cortice, gemma bacca Quercûs generant), commendabant ex multis, ut fertur, documentis felicis eventûs contra febres intermittentes; et quidem Cortici Peruviano præferendæ judicabantur, quod amaritie careant, calorem non accendant, minori dosi præbeantur, recidivis ægrius locum concedant et parvo pretio veneant.

D. *Reneaume* primum detexerat vim febrifugam nucum Cypressi, ac dein casu fortuito expertus est, nuces Gallarum, fraudulenter prioribus substitutas, eundem habere effectum. Idem Auctor fatetur eas non omnes febres intermittentes sanare, et D. *Boulduc* asserit se usque ad sextam vicem eas dedisse absque successu in febribus tertianis et quartanis. Juxta DD. *Lemery* et *Geoffroy* remedium hoc alvum parum movebat, sed febris revertebatur et non nisi Cortici Peruviano cedebat *(a)*.

Cortex Quercûs in nosocomio Gandavensi sat felices successus in febrium intermitentium curatione produxit, et juxta D. *Wauters (b)* in præcavendis recidivis post sublatas febres sat diu exhibitus optime votis respondit. Sed vix de hoc cortice judicium tutum ex his experimentis formari potest, quòd ordinarie plura alia antifebrilia illi adjuncta fuerint, qualia Gentiana, Opium &c.

Secundum D *Double* sequitur ex experimentis D. *Wauters*, corticem Quercûs bonum esse febrifugum in febribus intermittentibus, præcipue si remedio huic addatur, suadentibus *Percival* et *Fordyce*, parva quantitas radicis Gentianæ *(c)*.

" Remedia amara, ait *Fordyce*, quæ roborandi fa-

(a) Collection académique Part. françoise. T. III, p. 544.

(b) Essais pratiques sur quelques remèdes usités à l'hôpital civil de Gand. 1807. *p.* 101 *seq.*

(c) Journ. génér. de méd. T. XXIX, p. 223.

„ cultate gaudent, facilius, saltem secundum observata mea, a stomacho feruntur et majorem roborandi vim exercent, cum plurima sibi miscentur, quam cum singulatim exhibentur".

Sed in dicto nosocomio Gandavensi creberrime adhibitus fuit ille cortex solus, aut in vino aut in aqua decoctus, in febribus continuis vel post eas, qua roborans aut qua antisepticum, ubi alias Cortex Peruvianus dari solet. Additur illi sæpenumero Camphora, vel Serpentaria Virginiana, vel Lichen Islandicus, vel Opium &c. vel plura ex his, prout cum Cortice Peruviano fieri consuevit. Evidentissime vis roborans substituti hujus quotidie in hoc nosocomio observata videtur, ita ut forsan bene diceremus, nullum nomen rectius donatum esse quam nomen *Rorbur* Quercui, respectu scilicet virium quas ægris quasi cochleatim infundimus per ejus decocti usum. Hoc 73 exemplis confirmavit D. *Wauters* (d); exaratasque observationes ita concludit (e): *Pour faire quelque comparaison entre l'efficacité de l'écorce du Chêne et de l'écorce du Quinquina données intérieurement dans les fièvres continues, et dans d'autres affections où il s'agit de fortifier, de resister à la putridité &c. Nous avons comparé le premier élève de l'hôpital et moi, les cas où le Quinquina a été mis en usage, avec des cas à peu près pareils à ceux de ces LXXIII. Observations, où l'écorce du Chêne a été employée; et nous avons remarqué, que dans 73 cas des premiers, pris indistintement et au hazard comme ils s'offrent dans les Journaux, il y a eu 16 morts; où il n'y en a eu que 15 dans les cas où l'on a fait usage de l'écorce du Chêne; mais il nous a paru que ces cas-ci ne furent pas justement si graves que les premiers.*

(d) Lib. C. p. 117 seqq.
(e) Ibid. p. 159.

32° SAL ABSYNTHII. Vid. Art. GENTIANÆ et Art. QUASSIÆ.

Sale Absynthii lixiv. sive fixo se plures centenos febre intermittente vernali laborantes, purgato prius corpore, sanavisse, testatur *De Beunie (f)*; sed in febribus autumnalibus plerumque fallit, inquit.

Eximium est in intermittentibus febribus, etiam ad mentem *Boerhaavii*, ait Cel. *Murray (g)* Eques a *Rosenstein (h)* Julapium ex eo conficiebat cum *Succo Citri*, *Vino Rhen.* et *Syr. cort. Aurant.*, quo sæpe vernales superari refert.

33° SAL POLYCHRESTUM.

Boerhaavius (i) dicit: Tertianas quidem exquisitas certo fere tollit, sine metu recidivæ, sine obstructione viscerum. Quartanas curat quam securissime, resolvendo sensim rebellem harum materiam: quare merito laudabile nomen meruit, obtinuit.

34° SCUTELLARIA. *LINN. syst. veg. p.* 456. *Tertianaria. J. B. hist. pl.* *Lysimachia cœrulea galericulata.* C. *BAUH.* Gallice, *Toque tertianaire.*

Herba valde amara est et Allium spirat. Nomen pharmaceuticum virtutem in febre tertiana respicit, de qua *Turnerus Jo. Bauhinum* certiorem reddidit. In pharmacopœa Daniæ ejus mentio fit p. 50, et plura de ea videri possunt in *Otto* et *Willich Diss. de Scutellaria. Trajecti ad Viadr.*, 1789.

(*f*) *Mém. couronn par la Soc. des belles Lettres &c. de Bruxelles*, 1771. *p.* 7.
(*g*) Apparat. med, V. I, p. 186.
(*h*) *Huys- en Reys-Apoth. Vert. door* WAUTERS, *p.* 47.
(*i*) Elem. chem. T. II, p. 392.

Dosis in decocto pug. ij. florum (qui soli in usu sunt) pro adulto.

Ad oras stagnorum et in fossis crescit.

35° SINAPIS *alba. LINN.*
Sinapi sativum prius. DOD. pempt. 706.
Sinapi rapi folio. BAUH. pin. 99.
Gallice, *Moutarde.*
Belgice, *Mostaerd-zaed.*

Habitat in agris Belgii et in aggeribus juxta aquas.

Bergius (k) asserit semen *Sinapis albæ Linn.* integrum sive non contusum neque masticatum ad cochlear unum quater vel quinquies quotidie deglutitum, die apyrexiæ, sæpe febrium intermittentium vernalium, præcipue tertianarum, paroxysmos removisse aut retardasse. Eadem dosi illud commendat *Faxe (l)*, et hanc ejus virtutem experti sunt *Fagræus* et *Odhelius (m)*.

Boerhaave quoque dicit *(n)*, semen illud etiam in febre quartana et aliquando in quotidiana exhiberi.

Jam *Dioscorides* illud laudabat *(o)*.

36° SUMAC RHUS *coriaria. LINN.*
Gallice, *Sumac des Corroyeurs.*

In regionibus Galliæ meridionalibus habitat; apud nos colitur.

D. *Miller* plurimis experimentis notabili cum probabilitate demonstravit virtutem febrifugam *Kinæ* consistere in vi coriaria *propriété tannante.* Hoc legendo, simplici ductus analogiâ D. *Pellicot (p)*, judicavit fruticem nostrum, *Sumac* inquam, qui hoc principio

(*k*) Mat. med. p. 581.
(*l*) In ODHELII Fal om K. Lazer. J Stokh. p. 25.
(m) Vid. MURRAY, Apparat. med. Vol. II, p. 402.
(*n*) Hist. plant. p. 428.
(*o*) Mat. med. L. II, cap. 184.
(*p*) *Journ. génér. de la méd. T. XVIII, p.* 405.

præ *Kina* abundat, certo possidere eximiam febrifugam virtutem. Autumno anni VII. R. P. instituit experimenta in febribus intermittentibus et successus spem (ait) superavit. Septem milites e nosodochiis Italicis reduces tractandos habebat: tres ex iis ad primam remedii administrationem liberati fuere febre; alii quatuor lentius sanitatem recuperaverunt, solo etiam hoc remedio, excepto vomitorio præmisso ex *Tartrit. Antimon. potassæ*, et in binis casibus grano uno *Extract. gumm. Opii* post vomitorii usum.

Administrabat pulverem foliorum et summitatum ad unc. sem. vel drach. vj. nyctemeri spatio. Deinceps minores præbebat doses quotidie repetendas, vel dumtaxat matutino tempore diebus paroxysmi.

Profitetur D. *Pellicot* hoc medicamen adinstar *Kinæ* interdum stomachum gravare; tres e sanatis passos fuisse recidivam, quæ denuo ejusdem remedii ope dispellebatur; unum alium insignes anomalias in paroxysmis expertum esse.

37° TEUCRIUM, *Chamæpitis. LINN.*
Chamæpitis lutea vulgaris s. folio trifido. BAUH. pin. 429.
Chamæpitis prima. DOD. pempt. 46.
Gallice, *Germandrée* ou *Petit Chêne.*
Belgice, *Veld cypres.*

Habitat in arvis Galliæ, &c.

Hanc substitutionem mihi suggerunt DD. *Colombier* (*q*), *Schwencke* (*r*), *Chomel* (*s*).

Summitates hujus plantæ in substantia dantur a drach. sem. ad j. et datur duplum in infusione aut decoctione facta cum uno alterove scypho aquæ vel vini. Si planta recens adhibetur, datur semi pugillum

(*q*) *Médecine militaire. T. I, p.* 325.
(*r*) *Kruidkundige beschryving. p.* 173.
(*s*) Ibid. T. II, p. 462.

pro libra una decocti. Vidi ait *Chomel* (t), febres quæ Corticis Peruviani vim illuserant, cedere Teucrio et Centaurio min. simul mixtis et sub forma infusi in vino albo sumptis".

38° TORMENTILLA. Vid. Art. BISTORTA, pag. 179 seq.

39° VALERIANA *officinalis*. Vid. Art. ASÆ FŒTIDÆ.

Virtus antispasmodica, nervosa, roborans radicis hujus plantæ notissima est; cùm itaque febres intermittentes spasmo ingruant, et debilitas possit forte esse causa febris, naturale erat conjicere, Valerianam inter febrifuga collocandam esse.

Contendit D. *Bouteille* (v), quod radix Valerianæ cum Cortice Peruviano admodum conveniat, et quod sicut hic in epilepsia sæpe efficax, ita etiam Valeriana in febribus intermittentibus valde utilis reperta sit. Inter alia hæc habet: " Kina Kinæ non modo præstantissimum febrifugum, sed et antiepilepticum valde efficax se præbet, præsertim ubi accessus epileptici regularem servant periodum; et vice versa Valeriana non modo excellentissimum est antiepilepticum, sed et febrifugum commendabile. Ejus ope sanavi febres inveteratas in subjectis quorum ventriculus et pulmones adeo Chinchinæ usu defatigati erant, ut eam ultra non ferrent (u).

Vires antifebriles Valerianæ adhuc apud alios Auctores memorantur: unum jam sub oculis habeo *Dieskyum*, qui et contra morbos putridos, febrem lentam, et contra intermittentes eam commendat. " In febribus

---

(t) Loco cit.
(v) *Journ. génér. de méd. T. XLIX, p.* 71 *segg.*
(u) *Ibid. p.* 80.

„ intermittentibus inquit *(w)*, Valerianæ efficaciam „ multoties expertus est *Jo. Bauhinus (x)*, laudant „ *Mappus (y)* et *Hillius (z)*. Valerianam præ non- „ nullis aliis remediis, in Corticis locum surrogatis, „ non absque successu tentandam esse opinamur ". Plausibilissimas adfert rationes. Ast potissimum experimentis credo.

Datur uncia una vel una et semis pulveris, partitis vicibus, inter duos paroxysmos.

In nosocomio nostro civico mense Octobri ultimo, septies Valeriana contra febres intermittentes præscripta fuit, sed tantum semel perfecte successi: scilicet *C. G.*, ætat. 13 ann., a 4 hebdomadibus quotidiana laborans ea liberatur, ast post aliquot dies, 17ma Octobris nempe, recidivam patitur; dantur mox pulveris rad. Valerian. sylv. drach. vj. in 5 doses dividendæ et partitis vicibus sumendæ; continuatur ejus usus, et 21ma febris disparuit nec rediit.

Adhuc alteri ægrotanti datur eodem modo sine admixtis aliis, sed jam sequenti die medicus tractans asserit *Valerianam nil fecisse* et transit ad alia remedia.

Quinque aliis vicibus Valerianæ semper adjecta fuêre Extractum Centaurii min., Opium, Sal Ammoniacum, sic ut de substituti nostri efficacia nihil speciale probetur. Hoc dico; singulis vicibus hæc combinata solatium attulisse nunquam vero percurasse. Sed iterum addam oportet, quod spe semel vel bis frustratâ, illico transitum fuerit ad alia.

Cortici Peruviano quoque substituitur in morbis putridis: caro in infuso ejus serius putrescit quam in Corticis Peruviani; ut experientia *Dresky* probavit *(a)*;

(w) Diss. de Valeriana officinali LINN. Erlangæ d. 16 Aug. 1776. §. 23.

(x) Hist. univ. plant. T. III, p. 11. L. XXVII, p. 211.

(y) Hist. plant. Alsat. p. 317.

(z) *Hist. of the mat. med. p.* 582.

(a) *Ibid.* §§. *XIX et XXI.*

qui et cum *Collino* in nosocomio Viennensi, Patzmanniano plurimas ejusmodi morborum curationes vidit, quæ virtutem Valerianæ antisepticam confirmabant: Cum Valerianæ nulla vis adstringens insit, Ill. hic vir in morbis putridis obstructioni junctis hanc aliis antisepticis simul adstringentibus præfert. Unciæ unius dosin, secundum indicata plus minus auctam, nycthemeri spatio consumendam exhibet. Alii dant tantum drachmam semissem omni trihorio. In affectibus spasmodicis asthenicis exhibetur ordinarie bis, ter, quater in die ad drachmam integram.

D. *Van Opdenbosch* dignissimus ac ingeniosus senex Practicus egoque insignem *Collinum* sæpe cum emolumento imitati fuimus. Generatim radix hæc se præstantem exhibet in omnibus affectibus ab asthenia pendentibus, potissimum in spasmodicis, et in hisce Corticem multis superat parasangis: saltem ego pluries expertus sum, Valerianam cum floribus Zinci unitam, epilepsiam penitus tollere, etiam in adultis: quod mihi ex usu Corticis vel ipsius Cupri ammoniaci nunquam successit.

Debet vere vel antequam folia plene propululent e terra erui, siccari et in lagenis clausis servari. Longe meliores sunt radices plantæ in sicciore solo crescentis, sed libentius crescit in humido.

40° URTICA *pilulifera*. *LINN.* Vid. Art. CATECHU.

D. *Zannetti* Medicus Castrensis apud Copias Gallicas in Italia, asserit, se dedisse flores Urticæ majoris et minoris, methodo qua datur Cortex Peruvianus in substantia, infusos in vino, contra febres tertianas, quartanas et febrem perniciosam (sive quod huic Auctori idem est, contra febrem tertianam duplicem). Successus eorum sæpe promptior erat quam Corticis Peruviani..... dosis nunquam drachmam unam bis terve

in die datam superare debet. Remedium hoc adjicit, mihi visum est apprime proprium erigendis viribus in ea exhaustione quæ præcipuum characterem format febris perniciosæ. Requirit in ejus administratione easdem cautelas ac pro administratione Corticis Peruviani : ne scilicet detur in diathesi inflammatoria aut in pertinacibus obstructionibus. Tandem et hoc addit : " Juxta experimenta reiterata quæ super hujusce remedii effectibus institui, prævalet Cortici in restaurandis viribus nec non in febribus compescendis " (*b*).

Hæc varia minus nobilia Kinæ succedanea adhuc adjicere placuit, ut quæ fortassis curiosioribus aliquando indagationis objectnm constituere possent.

His omnibus visis et sincero animo rite perpensis, cum docto *Werlhofio* confiteri debemus et dicere :

" Profert forsan Europa non unum medicamentum, ,, quod viribus Corticem aut vincat, aut exæquet. Id ,, vero, si quod est, ab oculis, animisque nostratum ,, medicorum ad hanc usque ætatem, remotum esse ,, permissit Deus ".

CORONIS HUJUS ARTICULI.

Unum adhuc addi meretur, scilicet, Corticem Peruvianum quoad vitutem suam antigangrænosam excellens habere succedaneum *Flores Sambuci*.

Famosus Naturalista et Chyrurgus Mosætrajectinus D. *Hoffman*, testatus est D. *Burtin* (*c*), se centies et ultra felicissimo cum eventu contra gangrænam adhibuisse flores hosce in Cerevisia fusca fervidissima aliquo tempore infusos, et quam calidissime fieri potest ad pollicis altitudinem parti ægræ applicatos; hocque remedium efficacia Kinam longe superare.

(*b*) *Extrait d'une lettre de M.* ZANNETTI, *dans l'Ami des Arts*, 17 *Novembre* 1796.

(*c*) Vid. BURTIN, *Mém. couronné. p.* 168.

SUMMA
EXPERIMENTORUM
QUIBUS PRÆCIPUA KINÆ SUCCEDANEA SUBJECTA FUERUNT.

	NUMERUS ÆGRORUM										
	AB AUCTORIBUS				A NOBIS				SUMMA TOTALIS		*OBSERVATIONES.*
	SANATORUM		*LEVATORUM*		*SANATORUM*		*LEVATORUM*				
SUCCEDANEA Quæ potissimum experimentorum nostrorum objectum formaverunt.	PROMPTE:	LENTIUS:	ALIQUATENUS:	NULLATENUS:	PROMPTE:	LENTIUS:	ALIQUATENUS:	NULLATENUS:	SANATORUM:	NON SANATORUM:	Delemus nos apud Auctores invenire multa succedaneorum encomia et sanatorum exempla, vix vero casus in quibus hæc ipsorum spem fefellerunt: rareque eos ponere circumstantias in quibus illa adhibuerunt. Sic
ARSENICUM.	2. STöRCK. et KLUYSKENS.	2. BRY.	1. STöRCK.		46.	3.		10.	53.	10.	Ultra 320 felices exitus hic summatim adferuntur a FOWLER, LEICESTER, WITHERING, WILLAN, FODERÉ, &c. Recedivas ceu totidem novas febres considero.
AMYGD. AMAR. *emulsio Centauriata.* Interposito interdum usu Extractor. Amar. et Salis Polych.					41.	25.	6.	24.	66.	30.	De centenis successibus hic loquitur HUFELAND: sed sola experimenta nostra computavimus.
OPIUM Plerumque cum Pulv. rad. Valerian. sylv. &c.	9. BORTLETT, GIRARD, STöRCK et OESLONCHAMPS.		1. STöRCK.		8.			5.	13.	6.	Cel. STöRCK cujus duos successus hic computavimus, innuere videtur, casus minus felices sibi numerosiores esse. LIND, aliquot centenos Opio sanavisse dicitur. Sed plerumque nobis opus fuit pulveribus ex rad. Valerianæ sylv. &c. Tandem an absolute admittendum Opium indigenum idem præstiturum? Hoc nondum omnimode exploratum habemus.
SALICIS CORTEX.	68. Edm. STONE, BURTIN, GUNZ, COSTE et WILLEMET, CLOSSIUS.				20.	12.	10.	7.	32.	16.	Sola experimenta nostra consideravimus et non notavimus 5 ultimos non sanatos, ob rationes quæ ex dictis pag. 262 commode concipiuntur.
CAMOMILLÆ Flores sub forma pulveris sive in substantia.	2. HEBERDEN.				3.	5.	3.	2.	10.	5.	Duo exempla D.ni HEBERDEN nostris adnumeravimus, quod is flores Cam. sine ullis auxiliaribus adhibuit et ideo multum probat. MORTON etiam quidem 3 experimentis pondus addit, sed admiscuit floribus Antimon. diaph. et Sal. Absynth.
CAMOMILLÆ Flores in decocto cum pauco Sal. Absynth.					6.	3.	10.	5.	9.	15.	Decoctum hoc 24 periculis subjecimus minori cum felicitate: ast casus fere omnes natura sua pertinacissimi erant: febres nempe admodum inveteratæ, quartanæ, irregulares, autumnales, &c.
ÆSCULI Cortex. -------- Fructus.					7. 1.	3. 2.	3.	3. 2.	10. 3.	6. 2.	251 et ultra Æsculo sanati leguntur apud LEIDENFROST, PEIPERS, LA CROIX, COSTE et WILLEMET, et hi modo ultimi de minus prosperis successibus mentionem ingerunt.
BISTORTÆ rad. cum anat. parte rad. Calami arom. et tantillo Zinziberis.					12.	1.	23.	9.	13.	32.	Bistorta, ut patet, superioribus longe inferior est.

Cel. *Burtin* refert duos casus in quibus, dum irrita videbatur applicatio Corticis, item cataplasmatis ad gangrænam pharmacopœæ Viennensis, admovebantur prædicti flores optimo successu. Ego quoque ex quo hæc legi, forte decies hos Auctores imitatus sum, et revera non puto me unquam spe frustratum fuisse; nisi bis in gangræna senum. Id est ubi sperabam integram sanationem mali, eam obtinui, ubi tantum inhibitionem progressûs mali, pariter. Nostis absurdum fore, sperare restitutionem partis jam ferme aut prorsus sphacelatæ: multum dum hic inhibetur ne malum ulterius serpat.

Etiam Cortex *Quercûs* hic *Kinæ* substitui posset; sic enim fit in formulario nosocomiorum militarium *(d)*, ubi pulveris *Cort. quercini* unc. ij. et *Camph.* drach. j. uniuntur pulti ex farina Hordei compositæ. Sed infinito magis confiderem remedio nostro priori.

LICHENI ISLANDICO

SUBSTITUITUR:

1° LICHEN *Pulmonarius. LINN.*
Muscus pulmonarius. BAUH. pin. 561.
Gallice, *Pulmonaire de Chêne.*
Belgice, *Longe-mosch.*

Ubique maxime in locis humidis innascitur truncis arborum ætate provectarum, imprimis quercuum, abietum et fagorum. Qui in pharmacopoliis venditur, ex Quercubus desumi solet, et inde, ut putant aliqui, partim virtutem obtinet.

Ab usu quo gaudet in pulmonum morbis *pulmonarius* appellatus fuit. Jam diu cum successu non secus

(d) *Formulaire pharm. à l'usage des hôpitaux militaires, Paris,* 1804. *p.* 29.

ac *Lichen Islandicus* ad pulmonum vitia, tabem, pulmonum ulcera, sputum cruentum, spirandi difficultatem, tussim siccam &c. usitatus est. Secundum experimenta *Crameri* in speciali dissertatione de hoc Lichene habita Erlangæ 1780, mucilaginosas sed copiosius subamaras, terreasque particulas continet, ut veluti *Lichen Islandicus*, optimum demulcens, nutriens et roborans dici mereatur, et non absque ratione, ùt *Cramer* addit, jam dudum in pharmacopoliis civitatem consecutus est.

Desuper adhuc consuli potest *Matthiolus (e)*.

Lichen hic in Suecia non sine emolumento adhibetur ad tussim pecudum, teste *Linnæo (f)*.

" Jussi ait D. *Willemet (g)* adhiberi plantam hanc pulverisatam dosi drachmæ unius, diluta in decocto saturato foliorum ejusdem, pauco sacchari candi edulcorato, adversus tusses maxime inveteratas; usus 15 vel 20 dies protrahebatur quotidie mane jejuno ventriculo ac vesperi hora somni, *semper* optimo cum successu, infit. *Scopoli*, ut refert *M. G. Fr. Hoffmann (h)*, vigilem spumosum e pulmonibus sanguinem cum tussi assidue ejicientem, pulvere hujus Lichenis ad drachmam unam quater in die assumpto, omnino restituit; sed plethora prius minuenda et impetus fluidorum sedandus est ".

2° LICHEN *Caninus*. *LINN.*

Muscus cinereus Raji.

Gallice, *Pulmonaire de terre; Pulmonette canine; Lichen de terre. DE LA MARK, Fl. Franc .p.* 84.

Belgice, *Honds-mosch*, et vulgo *Heuvel-galle.*

(e) Comment. in Dioscor. Venet. 1565. p. 1039.

(f) Amœn. acad. Tom. VII, p. 383.

(g) *Mém. sur l'utilité des Lichens, à qui l'Acad. de Lyon a décerné l'accessit en* 1786. *p.* 18.

(h) Comment. de vario Lichenum usu, *Mém. couronné par l'Acad. de Lyon, en* 1786. *p.* 46.

Crescit apud nos in locis montosis, in locis declivibus juxta sylvas et agros, in planicie septentrioni obversa; hieme et tempestate humida valde viget, sub æstu æstatis fere perit.

D. *Wauters (i)* hæc habet: "..... ex quo a certo „ Braxatore homine fide dignissimo.... audivi, ipsum „ a phthysi liberatum olim fuisse mediante decocto „ *Lichenis cinerei terrestris* (*Canini*, *Linn.*)..... „ eumqne quamplurimos illo remedio ab inveterata „ tussi sanavisse, etiamsi ejus causam ignoratet; illud „ etiam tentamini subjeci.... in omni phthyseos spe„ cie ac gradu.... et vere mirandos effectus obser„ vavi. Unicum modo proferam exemplum.

„ Faber ferrarius 40 forsan annorum, temperamenti „ sanguinei, pertinacissima tussi ex pulmonum sensibi„ litate et obstructionibus jam ab anno laborans, Li„ chenem hunc indigenum in decocto cum aqna et „ pauco lacte adhibuit, nempe manipulum unum ad „ quatuor vehiculi libras, quas de die partitis dosi„ bus calide sorbebat: itaque tussis brevi leniebatur et „ sensim prorsus disparuit. Postmodum hominem ali„ quoties vidi, nec quidquam conquerebatur, nec tus„ sibat, nec facies ullum prodebat morbum". Fama felicium successuum istis in regionibus adeo dein increbuit, ut jam illic contra phthysim et quamcumque tussim inveteratam nullum detur vulgatius remedium.

Quum Muscus Islandicus potissimum qua phthyseos, hæmoptyseos, et tussis auxilium extollitur, succedaneum quoque habet Buxum, cui aliquod demulcens mucilaginosum adjicitur. Buxus adinstar memorati Lichenis eximie pectoralis et stomachica est, moderata amaritie et levi adstringente vi gaudet, tamen in morbis cum viscerum atonia resolvens esse potest; uti apud *Eller (k)* et alios Auctores legere est. " Morbos qui

(*i*) Diss. botanico-med. p. 38 seq.

(*k*) *De la connoissance et du traitement des maladies .... Paris*, 1774. *p.* 101.

„ ex atonia pulmonum oriuntur *Buxûs* nostræ decocto „ superari, experientia compertum habeo", scribit mihi peritissimus pharmacopœus nosocomii Filiarum Charitatis.

Ast quod hic forsan rei caput est, Lichen Islandicus, ægre inter exotica numerandus, cum pluribus aliis quam in Islandia locis, ipsis etiam in montibus Subalpinis, Foresii, Delphinatûs et in Cebennis reperiatur *(l)*.

LIGNO NEPHRITICO,

SUBSTITUITUR:

1° BETULA *alba. LINN.*
Betula. BAUH. pin. 427.
. . . . *DOD. pempt.* 839.
Gallice, *Bouleau blanc.*
Belgice, *Berken-boom.*

In sylvis nostris aridioribus frequens.

Lignum nephriticum raro invenitur, sed succus *Betulæ* omnes ejus dotes eminenter continet. Dicuntur nimirum decocta et infusa ejus diuretica et lythontriptica: succus noster hisce scopis datus efficacia non cedit. Quoad vim diureticam expertus loquor: quoad utriusque alteram, etiamsi a spectabilibus in arte Viris assignatam, valde diffidens, neutrum periculo subjeci.

Inciditur vere, antequam folia efflorescant, ramus *Betulæ*, tribus digitis crassus, in medio suæ longitudinis; tum prostillat de vulnere liquor leviter acidus et gratus, cujus unciæ quatuor, quinque vel sex, matutino tempore sumuntur per aliquot septimanas.

2° BETULA, *Alnus. LINN.*

(l) M. AMOUREUX, *Mém. sur l'utilité des Lichens à qui le second prix a été adjugé par l'Acad. de Lyon*, en 1786. *p.* 36.

Alnus glutinosa, rotundifolia, viridis. BAUH. *pin.* 428.
Alnus. DOD. *pempt.* 839.
Gallice, *Aune noir.*
Belgice, *Elsén-boom.*

Abundantissime crescit in regionibus Galliæ borealioribus.

Vim corticis mediani hujus Alni nigræ diureticam in vino infusi ex propria experientia statuere queo. De saxifragis viribus succi ex Alni vulnere effluentis *Matthiolus* loquitur. In hoc puncto tantumdem de hocce quam de Ligno nephritico sperarem, et utraque rarissimi, ne dicam nullius, jam usûs sunt.

LIQUIRITIA. Vid. GLYCYRRHIZA.

LYCIO VETERUM,

SUBSTITUITUR:

Succus Acaciæ nostratis sive fructuum *Pruni sylv.* inspissatus, juxta *Chomel (m)*, et hunc cum illo multum convenire colligitur ex *Prospero Alpino (n)*

MANNÆ EXOTICÆ,

SUBSTITUITUR

1° MANNA BRIGANTIENSIS

Sive quæ circa Brigantium colligitur ex quodam Pini specie *Mélèse* dicta; seu *Larice folio deciduo, conifera*, TOURN.; *Pino Larice* LINN.; hanc-

(m) Ibid. T. I, p. 9.
(n) De plant. Ægypt. p. 23.

que civitatem celebrem reddit, ut habet *Vosgien* in suo Dictionario geographico ad nomen *Briançon*. D. *Parmentier* hujus speciei quoque memoratur (*o*).

Mannæ etiam surrogare liceret

2° VIOLÆ *odoratæ flores*. Vid. Art. IPECACUANHÆ, N°. 2.

" Violæ inquit *G. Fallopius* (*p*), in usu sunt ad conficiendum syrupum Violatum solutivum, qui est certe divinum medicamentum et fit ex infusione Violarum.... Ex Violis habemus tantum syrupum Violaceum solutivum ad purgandum". Apud nos syrupus ille ita componitur:

℞ *Petalorum florum Violarum* lib. j. sem.

Contundantur in mortario marmoreo et infundantur per noctem cum

Aquæ pluvialis fervidæ. pint. ij. in colatura dein leni calore dissolvantur

Sacchar. alb. (*q*) lib. vj.
Ut F. Syrupus.

Ad alvum laxandam, ad unum alterumve cochlear infantibus præsertim præscribitur; nec ulla hic frequentior praxis apud omnes cives, qui ordinarie pueris in omni morbo non gravi hunc syrupum sponte præbent, ad intestina, ut aiunt, mundanda, et si hoc non juvat vocant medicum.

(*o*) *Code pharm.* p. 46.
(*p*) Op. genuin. omn. Venetiis, 1606. T. I, p. 537.
(*q*) Pro saccharo potest adhiberi mel.

MARGARITIS *Orientalibus*

SUBSTITUUNTUR

Margaritæ marium nostrorum imo et testæ *Ostreorum* (r), quæ pretio non virtute differunt.

MASTIX. Vid. Art. BALSAMUS COPAYVÆ.

MECHOACANNÆ *albæ*

SUBSTITUITUR

BRYONIA *alba*. Vid. Art. JALAP. N° 1.

Substitutio hæc juxta D. *Burtin*, tanto magis necessaria est, quod Mechoacanna alba, etiam Bryonia Americana vocata, quantumvis salutaris, sæpe ominosa evadit, propter radices narcoticas Mandragoræ quæ intermiscentur et extrinsecus similes apparent. Cùm alia similia remedia præstantiora nobis non desint, usus ejus obsolevit. Ut fatur *Isenflamm*, in Lexico *Blancardi*.

MEUM ATHAMANTA. Vid. Art. COSTUS VERUS.

MOSCHO NATURALI

SUBSTITUI POTEST

Artificialis. Cum raro in pharmacopoliis reperiatur Moschus non mangonisatus, cumque veneat enormi pretio, plurimi nostra refert artificialem Moschum

(r) *Vid. Pharmac. de Londres*, 1771. *T. I*, *p.* 259.

æquivalentem adinvenire. *Stöller* (*s*) ejusmodi unum proposuit: est autem Resina quæ generatur ex connubio *Olei succini rectificati* cum *Acido nitri concentrato*, sive cum *Spiritu nitri fumante*. Celeb. *Marggraf* jam tum hujus mentionem fecerat et ejus compositionem ita describit (*t*):

℞ *Olei succin. rectific* drach. j. Cui affunde in scypho palmato *Acidi nitri concentr.* drach iij. et sem.

Dum conquassatur fumus inde copiosus ascendit, effervescit cum vehementi fragore, sed non inceditur. Cùm 24 horas mixtura quievit, omnino resinosa evadit, inferiorem partem occupat liquidum acidum, superiorem vero resina flava Moschum fortiter redolens. Aufertur Resina, lavatur prius aquâ frigidâ, tum fervidâ quæ parvam Salis Alcali quantitatem dissolutam tenet, tandem adhuc aliquoties aqua frigida pura, donec omni acido orbata fuerit.

Hoc pacto obtinetur resina flava fragrantissimi Moschi referens odorem, perfecte solubilis in spiritu vini, in aqua integra subsidens et constanter suum retinens odorem. Flammam adinstar aliarum resinarum concipit. Dum leni igne distillatur, phlegma acidulum prodit, quod ob admixtum sibi oleum albescit, dein paucum spumoso-mucidum; quod utrumque productum hactenus adhuc Moschum olet; sed auctissimo igne in oleum spissum mutatur et oleo animali Dippeli odore simile est; relinquitur tandem parva massa atrosplendens. Ita *Marggraf*.

D. *Stöller* ex hac resina tincturam paravit, hujus drachmam unam dissolvendo in spir vin. rectificatissimi uncia semisse; et ex usu istius, una cum aliis excitantibus, bonos effectus observavit (*v*).

(*s*) Beobachtungen und Erfahrungen / Ghota / 1777. P. 120.

(*t*) Chemischen Schriften XV Abhandl. / §. 2.

(*v*) Vid. Kleines Handbuch der praktischen Artzneimittellehre / Frankfurt am Mein / 1803. p. 136 seqq.

MOXÆ *Japonum* et *Sinarum*

SUBSTITUITUR

Molugo *Artemisiæ vulgaris nostratis*, quæ vera *Moxa* est, ùt detexerunt *G. W. Wedel* et *A. Cleyerus* (*u*). Quomodo paretur etiam ab ipsis describitur; sed id quoque brevibus habetur in libro omnium medicorum in manibus versante, in Lexico *Blancardi* (*w*) ad nomen *Moxa*. Apud nos (ùt id loci fertur) coni ex gossypio facti eodem modo adhibentur. Sic et lanugine Verbasci (*x*), lino crudo (*y*), pluribusque aliis uti possemus (*z*). Usus ejus vulgo notus hic exponendus non est.

MUSCO *Corallino Corsico*; *Semini Santonico*, *Cinæ*, *Contra vermes*, et *Zedoariæ*

SUBSTITUITUR:

TANACETUM *vulgare LINN.*
Tanacetum vulgare luteum. BAUH. pin. 132.
Tanacetum. DOD. pempt. 36.
Gallice, *Tanaisie ordinaire.*
Belgice, *Reynvaer* of *Worm-kruyd.*

Crescit sponte juxta vias et agros.

Semen hujus plantæ, cujus virtutem vermifugam vel ignarissimi apud nos norunt, præferendum videtur semini *Santonico* quod tot parvis pedunculis foliorumque partibus scatet, ut quæque dosis paucum seminis con-

---

(*u*) Ephem. Acad. N. C. Decad. 2. Ann. I, 1682. Obſ. VI et Ann. 4, 1685. Obſ. I.
(*w*) Edit. Lipsienſ. anni 1777.
(*x*) Misc. N. C. Decad. 2. T. I, p. 67.
(*y*) Lib. de affect. N° 30, Sect. 5.
(*z*) Vid. WAUTERS, De exutorior. delectu. §. XII. seqq.

tineat, Substitutum vero nostrum tam certæ se exhibet efficaciæ, ut in Lotharingia pharmacopœi hoc sub variis istis exoticorum nominibus promiscue venditent, et tamen emptores nequidem de ulla fraude aut substitutione unquam suspicentur; prout testantur D. *Coste* et *Willemet* (*a*).

Datur pulverisatum a drach. sem. ad j. imo ad ij., immixtum syrupo communi officinarum, etiam melli, vel puræ aquæ vel vino; vel cum saccharo inspersum pani butyrato, vel libis incoctum. Verbo eodem modo ac *Semen Contra*.

Plurima adhuc alia dantur anthelmintica indigena quæ supradictis exoticis æquivalere videntur, qualia:

1° Semen *Rutæ*, quod *Cartheuserus* proponit (*b*); 2° Semen *Santolinæ Chamæcyparissi*, quod juxta experimenta D.[ni] *Bagard* eosdem constanter effectus edit atque semen *Santalinæ exoticæ* (*c*); 3° Semen *Abrotani campestris*, *cauliculis rubentibus Bauh.*, sive *Artemisiæ tenuifoliæ*, quod *Linnæus* et *Rosen de Rosenstein* (*d*) seligunt; item aliæ species *Abrotani* et *Absynthii* quæ multum olei exaltati et volatilis continent huc possent adduci; 4° Flores et summitates *Hyperici*, si in spiritu vini infusa cum liquore exhibeantur; id quod certa nobilissimæ Matronæ experientia didici, ait *Bartholinus* (*e*). Hoc idem remedium commendat et *Paracelsus* (*f*). Item 5° radices *Valerianæ officinalis* verno tempore effossæ, quibus *Störk* et *Collin* prospere usi sunt (*g*); sed addebant *Sal Polychrestum* et *Jalapam*, hocce modo: ℞. *Pulv.*

(*a*) *Essais de mat. méd. indig. p.* 70.
(*b*) Mat. med. T. III, p. 467.
(*c*) *Esf. de mat. méd. indig p.* 71.
(*d*) *Maladies des enfans*, *Paris*, 1778. *p.* 407.
(*e*) Act. med. philos. Hafniens. T. I, p. 74 seq.
(*f*) Act. med. Philos. Hafniens. ibid.
(*g*) Bienn. med. ann. I, p. 73. et ann. II, p. 148.

rad. Valerianæ sive *Phu* , *Jalap.* , *Sal. Polychr.* á drach. j. *Oxymellis scill.* unc. iv. M. Exhibeatur adultis quater per diem uncia dimidia , junioribus drach. j. vel ij. Sic loquitur Ill. *Störck :* " Remedium (hoc) ,, quod primo anno medico contra omnis generis vermes laudavi , hoc quoque anno multis ægris non tantum ,, a me , verum et a doctissimo Medico *Collin* datum ,, fuit optimo cum successu et integra curatione". Præcipue *Valeriana sylvestris* multis laudibus decantatur , ut apud *Beddeum (h). Schwenke* credit , virtutem antiepilepticam , quâ inter præstantissima superbit, ei tribuendam esse quatenus est vermifuga (i). 6° Radix *Filicis maris* constanter ab omni ævo contra tæniam adhiberi solet : profiteor me nullum in hoc casu æque efficax remedium reperisse , et hoc aliquoties mihi successisse : adhuc anno fere elapso liberavi importunissimo suo hospite Uxorem D.ni *De Graet.* Præscribebam pro more meo , tempore quo vermis suas excitabat turbas , vesperi , *Pulv. rad. Filic. mar.* drach. iij. vel unc. sem. , et postridie mane tantumdem : hora post præbebam forte purgans ex *Jalappa* , cui grana tria *Merc. dulc. (Muriat. Hydrargyri sublim.)* addi jubebam. Vetabam ne potum calidum superbiberet , sed modicum aquæ frigidæ. Hæc cura in tantum mihi successit , ut ægrota eodem die vermem 10 vel plurium ulnarum , integrum (quantum distinguere poteram) excreverit , nec exin ulla ejusmodi morbi symptomata passa sit.

Tandem 7° , ex floribus *Amygdali Persicæ* syrupus paratur , qui probe purgat et vermes in tenellis infantibus fugat. Sed vix finiremus si omnia anthelmintica assignare vellemus : omnia amara , omnia stomachica , tonica , purgantia , vomitoria , acria , salia , olea , ùt *Burtin* reflectit , huc referendà forent.

Inter anthelmintica mineralia optimum est *Mercurius.*

(h) De verme tænia. Viennæ, 1767. p. 31.
(i) Ibid. p. 16.

Aqua mercurialis hic non rejicienda. Videtur vis illius consistere in certo *Gas*, nam post decoctionem in aqua, non reperitur pondere diminutus.

OPIO EXOTICO,

SUBSTITUITUR:

1° OPIUM *nostras*. Vid. Art. AMYGDALI, pag. 10.

Papaver somniferum vel *sativum* Gallicum, eadem planta est ac illa e qua Orientales Opium suum parant. Elicitur ex capitibus ejus, ea ante maturitatem vulnerando. Succus lacteus qui sic emanat, ad vulnera adhæret, illic mox sponte inspissatur et inde collectus, methodo *Kampferi* (*k*) et *Alstoni* (*l*) exsiccatus, *Opium* vocatur. Aliquando ex capitibus simul et stipitibus foliisque succus exprimitur, vel fit istarum partium decoctum, quod non secus ac succus expressus in extractum siccum sive in gummi extractivum supra lenem ignem condensatur. Nuncupabatur extractum hoc a veteribus *Meconium*. Hoc minus efficax est Opio, sed Opium solum jam nobis transmitti dicitur.

Extractum illud sive Meconium conficiendi methodus, hæc satis bona mihi videtur:

℞. *Capsul. Papav. alb. siccat.*
et *rejecto semine*, *pulverisat.* (*m*) unc. j.

(*k*) Amœnit. exot.

(*l*) *Essais et observ. de méd. de la Soc. d'Eding. Paris*, 1743. *T. V*, *p.* 134 *et* 138.

(*m*) Adhibentur Capsulæ quæ collectæ sunt tempore quo succo lacteo potissimum scatent, sive quo vulnerata similem succum largiuntur; justo juniores et adultiores inertiores sunt et spernendæ. Insuper cum D. DESLONCHAMPS animadvertere juvat, caules eo minus succi lactei præbere quo remotius a Capsalis transcinduntur. *Bulletin de la Faculté de méd. de Paris*, 1809. *p.* 58 *seq.*

Infunde frigide per duos dies in
Aq. font. lib. ij.

Cola et exprime, f. evap. in B. M. ad remanentiam ℥, quæ effunditur super scutellam porcelaneam et evaporatur ad siccitatem.

Ita rursus habemus Opium nostras in lagenis clausis servandum.

Multi alii celeberr. Viri etiam modum extractum hoc conficiendi præscripserunt, inter alios *Quercitanus* et *Schroderus* sub titulo Opii Germanici compositionem ejus præbent mediante liquore vinoso, quæ Dno *Burtin*, licet paulo longior, præ cæteris arridet. Edinburgensium componendi methodus ex tribus libris Capsularum Papaveris quatuor cum dimidia uncias extracti solidi reddidit *(n)*.

Experientia nos docet inquit *Lieutaud*, quod minus ominosum sit Opio Ægypti, quodque placidius et certius operetur, ac idcirco præferendum sit omnibus aliis narcoticis.

Buchan vel interpres ejus D. *Duplanil* (*o*) ejusdem plane opinionis est, videtur ait hic, magis analogum dispositioni nostræ, et expers mangonisationis, cui exoticum ob caritatem valde subjectum est.

Vult ut idem adhibeatur ad compositionem Laudani

(*n*) DESLONCHAMPS ibid. p. 58 seqq. ex lib. ix. Capsularum recentium *Papav. nigr.* contusarum una cum semine (quia ægrius semen exemptum fuisset inquit) expressit lib. iij. et unc. xij. succi, qui filtratus, coquebatur ad consistentiam syrupi. Tum in Capsulis vitreis ardori solis expositus, intra 10 circiter dies reperiebatur induisse consistentiam extracti, quod pendebat unc. vj. et drach. ij. Dein lib. L. caulium et foliorum ejusdem Papaveris eodem fere modo tractatorum, largiebantur lib. xj. et unc. xij. succi, qui post 24 horas feculam abundantem deposuerat. Filtratus, coctus et soli expositus dabat unc. iv. et drach. iij. extracti. Tandem ex lib. iv. capitum *Papav. nigr.* recentium seu viridium, coctis in lib. xxiv. aquæ obtinuit extracti unc. ij. et drach. i.

(*o*) *Méd. domest, Paris*, 1780. *T. V. p.* 381.

liquidi. Et sane, quare non adhiberemus illud generaliter ubicumque Opium ex usu est? Observandum tantum, quod *Opium* plantæ Europææ respective ad Opium Orientale secundum D. *Bourgeois*, sextuplo ignavius est; Capsulæ nostræ quoque minus amaræ sunt.

De Beunie dicit *(p)*: " Experientia me docuit, Opium ex Papavere nostro parari posse: verum est me indiguisse duobus tribusve granis ubi granum unum Opii Turcici suffecisset ".

D. *Burtin* hanc proportionem tantum statuit ùt 1 ad 2. Forsitan Auctores hos conciliari possunt, si supponamus hunc loqui de Opio sive de succo super Capsulas inspissato et sine igne siccato; illum autem verba habere de Meconio sive extracto e succo expresso vel ex decocto, ope ulterioris decoctionis, inspissationis er exsiccationis parato. Opium enim non parum volatile est, ùt probat experimentum *Neuman*: si distilletur aqua cui immisimus Opium, aqua hæc recipiente recepta ejus refert odorem et saporem. *Berger* ulterius asserit, materiam post evaporatam aquam, in cucurbita remanentem nec odore nec sapore gaudere *(q)*.

Quidquid sit, certum est, quod, ùt loquuntur Auctores *Dictionn. univ.* *(r)* Capsulæ Papaveris nostratis largiuntur per decoctionem substantiam quæ ab Opio exotico solum ratione gradûs activitatis differt, sive ut habet *Alston* (r) " Succus lacteus per incisionem ex capitibus *Papaveris* elicitus et radiis solaribus vel in umbra exsiccatus, etiam in Provinciis nostris septentrionalibus gaudet omnibus qualitatibus boni Opii ". Id ipse expertus est: Opium nostras præparavit: erat ve-

---

(*p*) *Ibid. p.* 52.
(*q*) *Vid. Collect. des ouvrages de méd. de M.* TISSOT, *T. I, p.* 10.
(*r*) *Dict. encyclop. Yverdon*, 1774, *T. XXXII, p.* 545.
(*s*) Ibid. p. 139 sqq.

hementer amarum, acre et odoris virosi. Post 10 annos adhuc eumdem colorem saporemque conservaverat, odor solus tantillum diminutus erat. Plura adhuc alia experimenta fecit, ad quæ varias Papaveris species adhibuit et inter harum succos nullam differentiam detexit, sic ut referat unius cujusque, eam colere speciem quæ in sua patria majores succulentioresque largitur capsulas. Quos legi Auctores plurimos, putant Opium nostras eosdem effectus habere ac exoticum, sive bonos sive malos: id probant *Dillenius* (*t*), *Lindestolpius* (*v*), *Sprægelius* (*u*), *Arnot* (*w*), *Forestus* (*x*) &c. Propterea socordiæ taxandi qui usui Opii Orientalis diutius inhærescunt.

Anno 1782 in horto meo admodum spatioso, partim amœnitatis partim utilitatis causa, insignem copiam Papaveris tum albi tum nigri utrinque juxta ambulacra seri curaveram. Cum jam plane efflorescerct, jucundissimum mihi erat inter flores prima luce legens et studens obambulare: ast pluries accidit, ut vix horæ quadrantem oblectamento illi indulsissem, quin perciperem omnia ea symptomata, quæ percipere leguntur operarii Opium exoticum e navibus ubi perquam diu conclusum mansit (*y*), eximentes, aut alias Opium aliquamdiu tractantes. Tum curiositas me subiit experiundi quid Opium ex capsulis Papaveris mei paratum effecturum esset. Unde die calido, harum aliquas sauciavi et succum lacteum ex vulneribus emanantem et iis adhærentem non abstuli priusquam sufficientem siccando spissitudinem adeptus esset. Exhibui parvo meo cani tria hujus Opii grana duabus dosibus, dato horæ unius intervallo inter utramque.

(*t*) Ephem. N. C. Cent. IX et X. Obs. XLIII.

(*v*) De Venenis. p. 588.

(*u*) Diss. continens experimenta circa varia venena, præside HALLERO habita. §. 21.

(*w*) *Ess. et obs. de méd. d'Edinbourg. T. V, p.* 126.

(*x*) Libr. IX, obs. 14.

(*y*) Vid. etiam RAMAZZINI, Op. omn. Genevæ, 1716. p. 512.

Prima dosis nil videbatur efficere ; sed datâ alterâ brevi animal stupore gravi obruebatur, tandem elapsis duabus horis a prima sumptione, copiose vomebat et stupor omnis dissipabatur illico.

Ex illo tempore usque ad annum 1797. Vix umquam Opium exoticum præscripsi; verum semper fere hujus loco adhibebam syrupum de Meconio, quem domi meæ parari jubebam. Tantus Papaveris nostratis patronus brevi fiebam, ut dein agri semi jugerum mihi conservarem, ad colendum Papaver. Hoc pacto didici singulum jugerum Papavere cultum annue producere summam trecentos francos (300 *francs*) longe superantem, sed lucrum ex oleo potissimum oritur, ut demonstravit D. *Wauters* in Dissertatione ab Academia Scient. Bruxellensi coronata (z).

Anno ultime elapso D. *Jacobs* pharmacopola mihi præparaverat extractum exsiccatum ex decocto capsularum Papaveris albi sine ulla cautela collectarum. Putaveram id in nosocomiis adhibitum iri; ast cùm fortuito ob vehementissimam et indesinentem fere tussim, noctu vocarer ad quemdam phthysicum, quem jam diu tractaveram, judicabam non necesse esse ad illum accedere, modo darem paucum e dicto Meconio indigeno quod adhuc domi meæ habebam. Dedi itaque pilulas duas constantes circiter simul sex granis, ut una trium scilicet granorum porrecta fuisset illico, et altera horâ postea. Id executioni mandatum fuit tanto cum fructu, ut æger dein hoc extractum præferret extracto *Hombergii* : tussim hæc dosis insigniter mitigabat et somnum non turbulentum sed placidum quasi naturalem excitabat, sine capitis gravedine aut debilitate subsequente. Æger hoc remedium egregie proficuum sentiens, nullum aliud sedativum aut somniferum deinceps adhibuit, quamvis adhuc plures menses vixerit: eo

(z) *Gekroonde Verhandeling door de Keyzerl. en Koningl. Acad. van Brussel*, Typis Reg. Acad. 1788.

sopiebatur tussis et diarrhœa colliquativa refrænabatur; sudores oppido pauci obveniebant. Medicus consultans qui hos effectus mecum observabat, jussit quoque sibi ejusmodi extractum parari a Pharmacopœo D^no^ *Hooré-beke*, eoque feliciter utitur. Caret odore illo Opii viroso, et inebriante.

D. *Deslonchamps* (*a*) identitatem effectuum pluribus experimentis pariter probavit.

1° Mulier rheumatismo duos menses vexata, somno carebat. Sumendo quotidie grana duo Opii Gallici, prompte solamen et brevi sanitatem obtinuit.

2° Alia mulier in rheumatismo solatium retulit, parti dolenti continuo applicando flanellam in dissolutione drachmæ unius Opii Gallici madefactam; dolores sensim se dissipabant integre.

3° Tres ægri cephalalgia affecti lenimen et sanitatem adepti sunt, sumendo gutt. xx. ad xxx. hujus *Tinct. Op. Gallici:*

℞. *Vin. muscat.* unc. xij.
In iis dissolv.
Opii Gallici drach. ij.

4° Quinque alii variis causis somni expertes, eum recuperabant, sumendo unica vel pluribus vicibus 30 ad 60 guttas hujus *Laudani Gallici*.

5° De febribus intermittentibus superius Art. *Kinæ*, pag. 123 seqq.

6° Vomitus pertinax sedabatur protinus 60 guttis.

(*a*) Ibid. p. 60 seqq.

7° Puella in violentis convulsionibus cum delirio et tetano maxillar., illico levabatur quadringentis guttis *Laudani Gallici*, et applicatione semiunciæ ejusdem ad epigastrium.

Non ex solo Papavere educitur Opium, sed ex omnibus plantis narcoticis, umbelliferis indigenis: ex Hyoscyamo, ex Cicuta, ex Solanis, ex Nicotiana, juxta *Bressy*, obtineri posset. Si perveniremus ait, in notitiam methodi illud purum ex his plantis extrahendi, non amplius recurrere deberemus ad viam Commercii longinqui, quod adulterat et sophisticat omnes substantias quas nobis procurat *(b)*. Itaque

OPIO SUBSTITUITUR

2° HYOSCYAMUS *niger. LINN.*
Hyoscyamus vulgaris et niger. BAUH. pin. 169.
Hyoscyamus. DOD. pempt. 450.
Gallice, *Jusquiame.*
Belgice, *Bilsen-kruyd* of *Dol-kruyd.*

Invenitur in locis humidis, ad ripas fossarum et stagnorum.

Id video ait *J. A. Murray* (*c*), Medicos seculo nostro priores semina (Hyoscyami) interne exhibere non dubitasse, variis casibus, quibus alias ad Opium confugitur.

Opio ipso aliquando potentius fuit Extractum *Hyoscyami* in somno et quiete inducendis *(d)*. Anodini instar, a grano uno et dimidio, ad duo vel quatuor, vesperi (etsi vis sedativa in Opio potentior), in affectionibus nervosis egregie valuit (*e*). Colicam spasmodi-

(*b*) *Recherches sur les vapeurs. Londres*, 1799. *p.* 91.
(*c*) Apparat. med. Vol. I, p. 660.
(*d*) Vid. MURRAY Ibid p. 662.
(*e*) WHYTT, *On nerv. disorders*, *p.* 363.

cam extracti grana tria, casu singulari, sopierunt; sub cujus usu tamen alvus aperta permansit, et hæmorrhoïdes fluxerunt *(f)*. Speciatim in colica saturnina, ad spasmos solvendos, reliquis fere omnibus, quin Opio, palmam præripit; quum extractum hoc alvum non constipet. Celeri successu eo tussis titillatoria conticuit *(g)*. Ill. *Hufeland* *(h)*, illud narcoticum omnium mitissimum vocat, quod absque ullo molesto stimulo agat; nullam sanguinis commotionem, neque congestionem producat, ... insigni autem vi sopiente antispasmodica præditum sit. In morbis infantum debellandis Hyoscyamum Opio longe præfert: quum hujus commoda præstet, noxis vero careat. Eximiam opem ferre observavit contra dirissimas convulsiones et eclampsiam; item contra tussim cujuscumque indolis, maxime eam cui aliquid spasmodici suberat. *Collin* illud præscripsit in convulsionibus ad gr. xxiv. imo ad drach. sem. intra diem *(i)*.

Dno *Velghe* fere octogenario robustissimo, perfecta laboranti agrypnia ex affectione mentis tristi oriunda, et jam ultra mensem omnibus remediis etiam Opii dosibus sat magnis resistente, præscripsimus D. *Vervier* egoque Extracti Hyoscyami gr. viij. ut inde binæ pilulæ formarentur. Sumpsit eas æger, unam 10ma alteram 11ma verpertina, in lecto decumbens: nullus inde somnus, nec etiam ulla affectio molesta. Postridie sumpsit eodem modo gr. xij., cum aliquali effectu. Tertia vespera grana xvj. sumpsit, et ita somno placidissimo quinque minimum horas indulsit. Verum ille successus non perpetuus; nam observabamus alterna nocte pilularum effectum minus completum esse. Dedimus itaque Corticem Peruvianum et ægrotus illico convaluit integre.

(f) GESNER, Arzn. in Schwaben. T. I, p. 194.
(g) Vid. J. A. MURRAY, Apparat. med. Vol. I, p. 668.
(h) Uber die Vorzuge der Inoculation. p. 177 seqq.
(i) Obs. circa morbos acut. et chron. P. I, p. 148.

Extractum *Hyoscyami* est succus foliorum ejus inspissatus : hoc optime fit ope caloris solaris ; nec ultra annum servari debet, ne aufugiat pars halituosa, quæ maximam efficaciam continet. Quod ne fiat, vase quoque probe clauso servetur necessum est *(k)*.

Hæc de Hyoscyamo nigro dicta. Datur et albus qui priori tam odore quam viribus mitior est, et cæterum cum illo convenit.

PAREIRÆ BRAVÆ

SUBSTITUITUR

APIUM *Petroselinum*. Vid. Art. DAUCI *Cretici*.

J. F. Herrenschwand (l) deficiente *Pareira*, adhibet radices hujus succedanei, hancque ptisanam inde parat :

℞. *Rad. Pareiræ bravæ* unc. sem. vel *Petroselini* concis. unc. ij.
- - - *Liquirit.* drach. ij.
Infund. p. horam in *Aq. bullient.* lib. iij.
Coq. dein p. moment.

Colaturam exhibe ad vitrum.

Cocchius quoque radicem *Bardanæ* et herbam *Parietariæ* ei substitui posse, et hanc quidem *Pareirâ* præstantiorem esse autumat *(m)* ; blande nitrosas (addit) et alcalinas a calce particulas assumit ; sane prout plantæ mari propinquæ *Muriatem sodæ*, Polypodium quercinum proprietates Quercûs &c. assumunt.

(*k*) FOTHERGILL, citatus a MURRAY ibid. p. 668.
(*l*) *Médecine domest. Berne*, 1795. *Ordonn. pour l'Apoticaire*. N° 214.
(*m*) Vindeciæ Cort. Peruv. p. 18.

Virtutes tam indigenarum harum, quam exoticæ plantarum sunt diureticæ et demulcentes. Adhibentur in gravella, podagra, hydrope, blennorrhœa, &c.

Dosis prioris drach. iij., unc. sem. ad j. in decocto; in pulvere a gr. xv. ad drach. sem.

Dosis *Parietariæ* pro decocto M. j. ad ij.; succus depuratus ab unc. j. ad iij. quatuorve administratur.

Dosis *Bardanæ* in decocto ab unc. sem. ad j.; in pulvere a drach. sem. ad j.

PETROSELINO ALEXANDRINO sive MACEDONICO

SUBSTITUITUR

CUMINUM nostrum, sicut decreverunt Florentini *(n)*; vel semen *Apii majoris*, quod *Selery* vocamus, sapore acri et aromatico præditum, figura simili sed rotundiore et sine lanugine. Hoc feliciter apud nos in hortis colitur *(o)*.

PINO RUSSICÆ

SUBSTITUITUR

PINUS, *Abies. LINN.*
Picea major, seu *Abies rubra. BAUH. pin.* 493.
Abies. DOD. pempt. 860.
Gallice, *Sapin.*
Belgice, *Gemeynen witten Denne-boom*, of *Mastboom.*

Colitur in solo humidiore.

Juxta *Burtin* argumentum præcipuum quod exotico-

(*n*) Receptar. Part. II.
(*o*) Vid. Act. med. phil. Hafnienf. T. I, p. 2.

rum Amatores plerumque in suum favorem objiciunt, est, quod nata sub climate calidiori per coctionem succi perfectiorem virtutes magis inteosas possideant. Ratio autem hæc non militat pro turionibus Pini Russicis: *Burtinus* æquales ubique effectus observavit sive turiones nostrates Russicosve adhiberet; insuper hi sæpe vetustate et mala conservatione, partem suæ activitatis, in scorbuto frigido, morbis cutaneis et rheumatismis chronicis adeo commendabilis, amisisse videntur. Ita quoque sentiunt DD. *Coste*, *Willemet* (*p*) et *Duplanil* (*q*).

D. *Buchoz* (*r*) substituit promiscue turiones cujuscumque arboris veram resinam producentis. Ejusdem opinionem amplectitur *Burtin*, persuasus quod omnis turionum efficacia pendeat a resina, quam continent longe sane subtiliorem atque trunci ramique; adhuc magis attenuatam videntur continere folia, quibus virtutem diureticam communicat.

Si harum arborum cultura quo cœpit pede hic pergat, sique cultores resinam illorum rite tractare norint; brevi Terebinthina communi nec non Argentoratensi, inde per incisionem naturaliter manantibus, carendi copiam nobis facient. Una poterimus carere omnibus ex hac resina præparatis; insimul oleum nostrum Terebinthinæ, in vitiis Chyrurgicis pro usu externo, Balsama Copayvæ et Peruvianum minus necessaria reddet. Vid. *Bals. Copayvæ*.

PIPERI *rotundo*,

SUBSTITUITUR:

CAPSICUM *annuum*. *LINN.*
Piper Indicum vulgatissimum. *BAUH. pin.* 162.

(*p*) Ibid. p. 85.
(*q*) *Vid.* BUCHAN, *Méd. dom. T. V*, *p.* 486.
(*r*) *Méd. des anim. domest.* N° 18.

Capsicum oblongioribus siliquis. DOD. pempt. 716.
Gallice, *Poivre d'Inde* ou de *Guinée.*
Belgice, *Brisilie-Peper*, of *Spaensche Peper.*

Colitur in hortis, et hic optime ceu naturalis climatis nostri planta crescit.

Indis quibus pro libitu inter diversas Piperis species optio est, hanc quoad gustum præferunt, et Incolæ orarum Guineæ et Brasiliæ, a quibus nobis hæc planta, vix alia utuntur. Etiam inter varias Piperis species quas Guinea profert, hæc omnium minime acris est. Si quis tamen adhuc nimiam acrimoniam inculpat, sinat eam duos annos in aprico exsiccari, sic magnam partem acrimoniæ suæ perdet; insuper hæc temperari posset levi infusione in quodam vehiculo acido, vel additione substantiæ analogæ minus acris, v. g. seminis *Cochleariæ coronopi*, vel *Polygoni hydropiperis* (*s*) et *Nigellæ Romanæ*; vel foliorum *Saturejæ hortensis*; ni malles substituere pulverem compositum Piperis Brasiliensis, quem *Dodonæus* (*t*) *Geoffroy* (*v*) et *Valmont de Bomare* (*u*), *Gregorium de Reggio* imitantes describunt; vel *Capsicum baccatum Linn.* (*w*); vel tandem radicem *Pimpinellæ saxifragæ* (*x*).

POLYGALÆ *Virginianæ*

SUBSTITUITUR

1° POLYGALA *vulgaris. LINN.*

(*s*) Grana Hydropiperis ipsa et sola sine admixtis cum pipere magis quam cum Cardamomis conveniunt et illi recte substituntur. Vid. *Hist. des plantes... à Lyon*, chez les frères *Duplain* 1753. Vim Piperis calefacientem et incidentem perfecte æmulantur. Gallice vocatur *Poivre-d'eau*, *Curage*, Belgice *Water-Peper.* Crescit abunde circa amnes et fossas nostras.

(*t*) *Cruydt-Boek. p.* 1125.

(*v*) Mat. med. T. III, p. 6. Et Vid. BURTIN ibid. p. 57 et seq.

(*u*) *Dict. d'hist nat. Lyon*, 1776. *T. VII, p.* 245.

(*w*) Vid. MURRAY, Apparat. med. Vol. III, p. 702 seqq.

(*x*) *Vid. Dict. univ. de mat. méd. T. IV, p.* 100.

Polygala major. BAUH. *pin.* 215.
Flos Ambarvallis. DOD. *pempt.*
Gallice, *Poligalle*, *Herbe à lait.*
Belgice, *Kruys-bloeme*, of *Kruys-dag.*

In siccioribus pratorum locis et ad margines illorum nascitur.

Utraque hæc Polygala easdem (*y*) balsamicas roborantes et demulcentes vires habet; in phthysi celebris. D. *Collin* (*z*) radicem hujus in quindecim pulmonicis subjecit tentamini, et illam efficacissimum remedium agnovit: aliquibus ex his purulenta sputa abundantia, phthysis provecta, tussis vehemens et sudores nocturni copiosi erant. Plures non sanavit quidem, sed symptomata tolerabiliora reddidit. In cadaveribus eorum qui hanc radicem non tulerant, invenit Auctor scirrhos in pulmonibus, pulmones consumptos, nec non obstructiones in visceribus. Remedia demulcentia quandoque præmittere, vel tempore curæ simul cum emollientibus, inter quæ præprimis radix *Saleb* eligebatur, adhibere necessum erat. In progressu excretio urinæ augetur, dum ea sudoris minuitur: et sudores modo minuuntur antequam circa purulentorum excretionem aliqua observetur mutatio.

Administrabat Auctor *Polygalam* in decocto, nempe coquebat radicis ejus uncias tres in libris tribus aquæ ad consumptionem medietatis, colaturæ addebat *Syr. Hyssop.* et *Diacad.* ā unciam unam. Consumebantur Radicis unciæ duæ quotidie, sed sæpius minus.

In tussi pituitosa efficacem illam reperit *Stoll.* Rat. med. Part. II, p. 297.

Eximias virtutes cum *Polygala Virginiana* communes habet, inquit *Trillerus.*

Tandem Medici Parisienses inter quos *Du Hamel* et

(*y*) CARTHEUSER, Mat. med. Tom. II, p. 438.
(*z*) Ibid.

Bouvart (*a*), cum nostra *Polygala indigena* tentamina quædam inierunt, et easdem quas *Virginianam* possidere vires, paulo tamen remissiores, experti sunt:

Tota planta, addit *Trillerus* cum floribus, herba et radice minutim concisa, aquâ ferventi superfusâ, instar herbæ Theæ usurpatur.

D. *Burtin* (*b*) quoque variis in pectoris morbis hac indigena Polygala usus est, fere semper, ùt fert, desiderato cum successu: in pertinaci tussi, phthysi recenti et aliis ferme desperatis pectoris morbis illam heroïcam habet.

D. *Burtin*, non secus ac DD. *Coste* et *Willemet* (*c*), *Polygalam nostram vulgarem* eamdem plantam credit ac *Polygalam amaram Linnæi* et *Crantzii*; et quamvis distinctæ plantæ essent, hæc nostras etiam exoticæ amaræ substitui posset, id testante effectuum identitate etiam ab ipso *Burtin* observata.

Dosis ab hocce Auctore præscripta est in decocto unciæ unius et semis aut ultra de die. Sic data sæpius nauseas et secessus excitat et adhuc sæpius ardoris sensum in æsophago; quæ symptomata neque malas sequelas neque curæ obstaculum produxerunt.

2° ARBUTUS, *Uva ursi. LINN.*
Radix Idæa putata Uva ursi. BAUH. Hist. I, p. 524.
Gallice, *Raisin d'ours*, *Bousserole.*
Belgice, *Wolfs-beziën.*

In hortis nostris facillime colitur.

Proprietates antiphthysicas insignes habere contendit D. *Robert Bourne*, *Cases of pulmonary consomption*, *&c.*

(*a*) Collect. Acad. part. Franc. T. IX, p. 154 seq. Item T. VIII, p. 116.

(*b*) *Mém. couronn. par la Soc. des belles Lettres &c. de Bruxelles*, 1771. *p.* 128.

(*c*) *Ibid, p.* 72.

treated with Uva ursi, to which are added some practical observations, *Oxford*, 1805. Describit Auctor symptomata et methodum curationis sedecim casuum, quos in 4 classes divisit: 8 primos pro exemplis phthysis pulmonalis in primo gradu ponit; 9nus, 10mus et 11mus phthyses confirmatæ erant cum expectoratione purulenta; duo sequentes affectiones erant pulmonum expectoratione purulenta stipatæ, sed quæ non pendebat a vera phthysi, et tres ultimi casus erant febres becticæ, ubi pulmones vel nullatenns vel non primitus affecti erant.

In variis ex his casibus *Uva ursi* administrabatur cum aliis remediis auxiliaribus, et in aliis aliquamdiu ejus usus interrumpebatur; sed quandoque decretorios effectus habuisse videtur. Cùm Auctor libellum suum jam composuisset, literas accepit a quodam medico æstimato, quibus ipsi indicabatur experimenta super proprietatibus antiphthysicis Uvæ ursi instituta nequaquam ei favere; nihilominus plura alia ipse instituit et adjectis sex novis observationibus librum edidit.

Hoc ego momentosum adjungo: falacia esse experimenta quæ Uvâ ursi apud pharmacopœos emptâ fiunt, namque experientiâ certissimâ mihi constat, apud illos passim folia *Vaccinii vitis Idææ* pro foliis Uvæ ursinæ prostare. Distinctio inter eos fit, reflectendo quod folia Vaccinii sint in margine sursum revoluta. Parvi hoc forsan refert, si verum sit, ùt aliqui contendunt, quod omnes partes hujus arbusti habeant virtutem eamdem ac Uva ursi contra gravellam. Observatum est pueros qui abunde myrtillos comedunt, non esse subjectos dicto morbo. *(d)*.

3° BOTRYS. Vid. Art. BALS. COPAYVÆ.

(*d*) MARQUET, *Médecine pratique et moderne*, &c. *T. III*, *p.* 281.

PYRETHRO

SUBSTITUITUR

PIMPINELLA *Saxifraga. LINN.*
Pimpinella saxifraga minor. BAUH. pin. 160.
Saxifraga parva. DOD. pempt. 315. Nonnullis *Tragoselinum officinale*
Gallice, *Grande Saxifrage*, *Pimprenelle blanche*, *grande Bouqueline*, *Boucage.*
Belgice, *Kleyne Bevernel*, *Steenbreek.*

Passim in pratis et campis nostris provenit.

Juxta *Cartheuserum* (e) radix hujus easdem ac radix Pyrethri virtutes possidet: qualitatis est acris et hircinum quasi odorem spargens, resolvens, diaphoretica, diuretica, emmenagoga; verum Auctore *Burtin* ob nimiam acrimoniam vix pro usu interno servire valet; solum quà masticatorium considerata Pyrethri succedaneum existimandum, ubi nempe ptyalismus aut stimulus in ore requiritur. Si introsumere illam qua incisivum et expectorans consultum creditur, pauca grana sufficient, v. g. iij. ad vj. per diem partitis vicibus; etiam decoqui potest scrup. j. in aq. lib. ij. ad remanentiam ¾.

D. *Des Bois de Rochefort* concinne explicat, ubinam hæc sialagoga indicentur (*f*).

QUASSIÆ AMARÆ

SUBSTITUITUR

ARTEMISIA *Absinthium.* Vid. Art. GENTIANÆ RUBRÆ. pag. 46.

In febribus intermittentibus, ait D. *Burtin* (*g*), cum

(e) Mat. med. T. II, p. 254.
(*f*) Ibid. T. I, p. 16 seq.
(g) Ibid p. 41.

successu hoc substituto usus sum loco Quassiæ, cujus præcipuum meritum summa amarities. Cardo hujus substitutionis in ipsis vertitur rationibus quas D. *Blom* in Quassiæ favorem allegavit *(h)* D. *Hufeland* hanc quoque substitutionem approbat. *(i)*.

RHABARBARO *vero exotico*, *Chinensi*, *Indico*, *Russico*, *Siberico*, *Moscovitico*,

SUBSTITUITUR

INDIGENUM. In diversis Europæ regionibus etiam in Gallia, plantationes non parvæ *Rhei Palmati Linn.* coluntur et bene succedunt: " Hinc inde etiam experimenta minora capta sunt, et radices hujus *Rhabarbari indigeni* in chemicis et medicis examinibus bene steterunt *(k)* ". Plures medici amore Patriæ animati, diu incubuerunt ad demonstrandum Rheum palmatum hic coli posse: a priori aliqui ratiocinabantur, dicentes: mala Persica, mala Armeniaca, pruna Damascena, Cerasa, Solanum esculentum, Nicotiana &c. hic læte crescunt, florescunt, fructificant, progerminant, et tamen climata ex quibus nobis venêre, multo magis a nostro differunt quam illud quod nobis Rhabarbarum suppeditat; hoc cum nostro prope congruit: invenitur enim sponte proveniens in Mongalia, imo et in Vicinia civitatis Kiacktensis sive ad gradum lat. septent. 50mum fere *(l)*. Agnosco tamen cum D.no *Dumont-Courset*, hæc argumenta non esse omnino decretoria, quod ipse pulchre demonstrat *(m)*; eodem tem-

---

(h) Disf. de ligno Quassiæ. Upsal. 1763.

(i) Vid. Journ. der practischen Heilkunde von C. W. HUFELAND. XXI Band, III St. p. 171.

(k) Dispenf. Lippiac. Part. I, P. 72.

(l) *Vid. Voyage de M.* BELL, *Nem* GMELIN in Disf. inaugurali de Rhabarb. Tubingæ 1752, nec non BENTINK, *Chine du P.* DU HALDE.

(m) *Le Botaniste cultivateur. Paris*, 1802. *T. I, p.* 29 *seqq.*

pore exemplo evidenter probat, climatis frigus aut latitudinem geograph., non esse sufficientem rationem desperandi de assuefaciendis apud nos plantis climatum calidiorum.

Hæc ratiocinia jam superflua evaserunt, ex quo non solummodo Rheum quotidie volupe crescens sub oculis habemus, verum etiam cum fructu id loco exotici in praxi administramus.

Rheum hoc nostrum idem esse ac illud Chinense certum videtur. In Moscovia colebatur primum in horto D.ni *J. G. Model.* D. *De Gorter* ibidem semen ejus collegit et *Linnæo* transmisit. Scimus autem Rheum nostrum omnibus characteribus Linnæanis donatum esse, *foliis* nempe *subvillosis*, *undulatis petiolis æqualibus*. sp. 531. Deinde Moscuâ in Galliam transmissa fuit planta, quam D. *De Jussieu* vocabat *Rhabarbarum folio oblongo*, *crispo*, *undulato*, *flagellis sparsis*. Grana hujus inventa sunt perfecte similia granis quæ D. *Vandermonde* nobis ex China transmisit, &c. (*n*).

D. *Gaumont*, Bruxellis, jam ante annum 1770 grana veri Rhabarbari ab amico qui in China habitabat accipiens, tempore veris illa terræ mandabat et paucis post diebus optime propullulabat planta crescebatque prospere non secus ac aliæ plantæ quæ nobis indigenæ sunt. Post obitum D.ni *Gaumont* in horto ejus inventa sunt ultra 20 plantæ, quarum aliquæ habebant radices longitudinis duorum pedum et crassitiei unius.

Alius Dominus botanices amans, cum raram plantam D.no *Gaumont* dono dedisset, reddidit hic plantam unam Rhabarbari sui, quæ in aëre aprico, æque bene ac omnes vel communissimæ hujus climatis plantæ, crevit, quamvis magnæ subin in usum medicum radices, et minores sæpe in propagationem decisæ fuerint.

(*n*) *Vid. Dict. encyclop. T. XXXVI*, *p.* 755 *seq.*

D. *Du Rondeau* Medicus Bruxellensis qui hæc scribit (*o*), addit, quod hæc planta omnino similis sit illi quæ habetur in horto regio..... Radix ejus juxta ipsum purgat æque ac Asiatica æquali dosi data; tinctura ejus methodo Rolfinghii parata æque saturata, æque efficax est ait, atque illa quæ fit ex Rheo Chinensi. Radix hæc exhibita fuit, ùt narrat, visitatoribus pharmacopoliorum Bruxellensibus, qui illam pro Asiatica habuêre. Nos tamen invenimus eam paulo minus efficacem. Cæterum cum D. *Du Rondeau* dicimus: *Les effets sont si semblables qu'il ne reste aucun doute que cette plante ne soit absolument la même que celle de la Chine.*

" *C'est celle* (Rheum palmatum *Linn.*) *que l'on* ,, *commence à cultiver en France* inquit D. *Parmentier* (*p*); et jam D. *Valmont de Bomare* dixe- ,, rat": Tandem.... Flandri verum Rhabarbarum colere cœperunt, qnod vix aut non differt a Chinensi, cujas est origine (*q*).

D. *Bruggeman*, peritissimus Medicus ruralis, ex plurimis jam annis aliud Rhabarbarum non adhibuit quam quod in horto suo abunde colit: dosim parumper augendo eumdem omnino effectum se obtinere asserit, ac ex usu exotici obtinere solebat. Insuper vidi in horto D.[ni] *Taelman* alius senioris et famosi Medici ruralis illud Rheum palmatum copiose ac læte crescens, diversæ ætatis 1, 2, 3, 4 annorum. Cum abundantiam mirarer, reponebat medicus, se hocce solo uti in praxi sua, idque optimo cum successu. D. *Botte* Vir Litteratissimus cujus familiaritate fruor, plurimos retro annos assuetus erat circiter omni mense drachmam aut quatuor scrupulos Rhei exotici sumere ob

---

(*o*) *Mém. qui a remporté l'accessit de la Soc. Litt. de Bruxelles*, 1771. *p*. 5 *seqq*.
(*p*) *Code pharm. p*. 96.
(*q*) *Hist. nat.*

ventriculi incommoda. Quum famosus Herborista Gandavensis *Mussche*, quocum etiam amicitia junctus est, id sciret, dedit ei magnam radicem Rhei sui palmati, quam Litteratus in taleolas sectam siccavit et dein eodem modo quo antea exotica, jam ultra annum usus est et adhuc utitur. Sincere mihi perhibet vir iste, effectum se eumdem experiri ex Rheo indigeno quem olim ex exotico. " Experimenta exactissime instituta et iterata ait *Burtin*, identitatem effectuum demonstrarunt ".

Cultura Rhei nostri haud multum facessit negotii, neque solum excellens requirit, cum optime crescat in solo sicco et arenoso. Methodus illud colendi admodum facilis est, et Belgico sermone ample describitur a *Cornelio Nozeman* (*r*). Vere invertitur et movetur paulisper terra circa radices; tunc etiam exciduntur radicum surculi, novis plantis progignendis destinati. Tota æstate nil facto opus est; tantum eruitur zizania, nunquam irroratur. Autumno siccatis foliis, eruuntur radices quæ satis magnæ judicantur. Hieme rursus nihil peragitur.

Erutæ radices vix aut non lavantur (*s*), discinduntur in taleolas duos pollices crassas, perforantur et fune trajecto suspenduntur in aëre libero exsiccandæ. Ubi sat siccæ fuerint, limâ abraditur cortex externus et omnis sordities. Sic aspectu redditur simile Asiatico.

Sed difficultas hic movetur ad radicem rite exsiccandam. Id autem quam optime fieri mihi visum est, dum taleolæ fune trajecto alligantur alis molaribus quum aura favente agitantur. Sic vento sicco fortiter afflante scopus noster adimpletur. Repetitis enim experimentis

---

(*r*) *Verhandel. van het Bataafsch Genootf. der proefond. wysbegeerte te Rotterdam. I. Deel*, p. 465 *seqq.*

(*s*) Si aliquamdiu in aqua manerent, partem mucilaginis suæ virtutisque amitterent.

mihi constat, radices recentes sic circiter $\frac{1}{3}$ citius exsiccari, cæteris paribus, quam si alias aëri libero exponantur. Sint radices A. B. ejusdem ponderis, ejusdem crassitiei et longitudinis: suspendatur radix A ex extremitate alæ molaris, et radix B in libero aëre: si ventus et radii solares æqualiter ad eas accessum habent, A cum ala molari continuo circumducta, dato temporis spatio $\frac{1}{3}$ plus sui ponderis perdet quam radix B quæ quievit.

RICINO EXOTICO

Sive

RICINO *communi. LINN.*
Ricino vulgari. BAUH. pin. 439.
Ricino. DOD. pempt. 367.
Gallice, *Ricin*, *Palma Christi*, *Pignon d'Inde.*
Belgice, *Wonderboom*, *Molle-kruyd*, *Kruysboom.*

Qui utriusque Indiæ planta est,

SUBSTITUITUR

Eadem planta, quæ in hortis nostris facillime colitur.

Oleum ex granis maturis frigide expressum et non rancidum, ad unciam unam aut alteram datum, leniter alvum movet, et in colica saturnina nec non contra vermem solitarium commendatur. DD. *Dunant (t)* et *De Machy (v)* reflectunt, quod perniciosissimum sit, si fuerit rancidum, vel si exprimatur ex semine prius non decorticato et ab embryone mundato. Qualitas deleteria communis est embryonibus omnium fere plantarum familiæ Euphorbiorum. Idem est si fuerit oleo ex granis Tigliæ expresso mangonisatum: hoc enim

(t) *Journ. de méd. T. XLIX, p.* 47.
(v) *Journ. de phys.* 1776. *T. I, p.* 479.

ait *Selle* ad guttas aliquot exhibitum drasticam vim exercet, datum majori dosi, periculosas posset habere sequelas *(x)*. Ad hæc forsan non satis attenderunt qui illud contemnunt.

Ricinus granis abundat, quæ ùt refert *Burtin*, dimidium suæ gravitatis in oleum expressum largiuntur; itaque calculo instituto, libra olei nostratis vix constabit floreno, ubi exoticum egregie caro venit. Insuper adhibendo semen nostrum, securiores judicabimus, mangonisationis et ranciditatis expers esse oleum. Visens ex officio pharmacopolia, ubique fere oleum illud rancidissimum inveni; vidi etiam pharmacopolas nihilo satius facere qui semen exoticum emunt et oleum ipsimet exprimunt; cum semen hoc peregre adductum jam inde rancidum esset. Verum est ranciditati medelam superesse, sed ut quid inutilis labor?

D. *Burtin* putat oleum Ricini cum quovis oleo dulci expresso convenire; et nominatim oleum *Lini*, tum in enecandis vermibus, tum in lubricandis primis viis eosdem edere effectus; omnia illa olea tantum gradu efficaciæ differre credit *(y)*. D. *Cavane* magnus Panygyrista *(z)* olei Ricini, memoratur ipse, *Baglivum* et *Bellinum* in colicis biliosis ceu lenia purgantia præscribere oleum Amygdalarum et ejusmodi alia.

Wauters in dissertatione sua coronata super oleis indigenis narrat, se in alvi constipatione pluries præscripsisse mulieri rusticæ quatuor uncias olei ex semine Papaveris albi frigide expressi, et singulis vicibus illam inde sine ulla soporositate duas vel tres alvi depositiones obtinuisse *(a)*. Ast maneat in usu oleum Ricini ex granis nostris debite expressum, hoc magis alvum laxat: D. *Mac Mahon* non modo contra ver-

---

(*x*) Medicina clin. Berlin, 1797. p. 610.
(*y*) Ibid. p. 158.
(*z*) *Diss. sur l'huile de Palma Christi. Paris*, 1777.
(*a*) *Gekroonde Verhandeling der Keyzerl. en Koningl. Acad. der wetenschap.*, *&c. Brussel.*, 1788. *p.* 6.

mes, sed et ad leniter purgandum teneris et debilibus subjectis hoc ita præscribebat:

℞. *Olei Palm. Christi* unc. j.
Misce exate cum *Vitello ovi.*
Add. *Aq. cots.* unc. iv.
— *Flor. aurant.* drach. ij.
Syr. capill. vener. unc. j.
M. sumatur unicâ vice.

Duobus subjectis illud exhibui (contra tæniam) inquit *Wauters* (*b*), uni ex iis cum desiderato effectu et nullam inconvenientiam observavi.

Sic et D. *Odier* felicissime hoc oleo in eodem casu usus est (*c*).

Exhibetur hoc modo: sumptis mane pulveris radicis Filicis maris drachmis tribus, datur bihorio postea olei Ricini uncia semis et tantumdem omni semihorâ, donec unciæ duæ et semis absumptæ fuerint. Si tum vermis necdum prodeat, injicitur clysma ex aqua tepida et pauco olei Olivarum.

Etiam umbilico infantum applicatum vermes fugare dicitur.

RUBIÆ TINCTORUM EXOTICÆ

SUBSTITUITUR

INDIGENA, sive quæ in nonnullis Belgii locis copiose seritur.

Insuper juxta *Rosenstein* (*d*), in Rachitide ei substitui posset radix *Hydrolapathi*, sive *Rumicis aquatici. Linn.*

(*b*) Diss. botanico-med. p. 52.
(*c*) *Journ. de méd.*, 1778. *p.* 450 *seq.*
(*d*) Om. barne sjukd. p. 405.

SACCHARO

SUBSTITUITUR

MEL. Hoc illi plurimum simile est: sunt ambo sapones vegetabiles, fermentationi vinosæ propria, eamque promovere et excitare possunt in substantiis quæ aliunde vix fermentare valerent. Mel quidem ad hoc magis efficax observatur. Saccharum in suo statu crystallino minus fermentationi subjectum est.

Antequam Saccharum nobis notum erat, ad compositiones electuariorum, conditorum et syruporum solum Mel adhibebatur.

Idem adhuc hodiedum fieri posset: pro conservis aut conditis: siccentur et tenuissime pulverisentur substantiæ, et in lagena probe clausa conserventur. Ubi tum conserva aut conditum præscribitur, capiantur drachmæ duæ cujusvis istorum pulverum v. g. Menthæ pp., et addantur Mellis drachmæ sex; ita exurget uncia una *Conservæ Menth. pp. &c.*

Syrupi etiam passim Melle præparari possent.

Rob nostra Saccharo non egent: si debite inspissentur, facile sine Saccharo conservantur.

" Radix Glycyrrhizæ omnibus notissima, maximam largitur quantitatem materiæ saccharinæ, et cum hæc sola extrahitur, a Saccharo ordinario nil differt; qualitates itaque medicinales ejus absolute cum Sacchari qualitatibus coincidunt ". Ait *Cullen* (*e*).

In substantia loco Sacchari apud pharmacopolas sæpissime usui esse valet, in decoctis et infusis, et pluribus conservis ex tempore eam addere liceret, si non obstaret negligentia", ut loquitur *Hufeland* (*f*).

(*e*) *Traité de mat. méd. T. II* p. 425.
(*f*) *Ibid.* p. 174.

Plurimæ aliæ nobis sunt plantæ quæ Saccharum abunde offerunt. Sic:

1° BETA *vulgaris.*
Beta alba vel pallescens quæ Cicla officinar. BAUH. pin. 118.
Beta candida. DOD. pempt. 620.
Gallice, *Poirée* ou *Bette blanche.*
Belgice, *Witten* of *Gemeynen Beete.*

Colitur in hortis.

Inter omnes plantas indigenas optimum Saccharum idque copiosissimum præbet, demonstrante Cel. *Margrave* in suis opusculis *(g)*, ubi methodum Saccharum educendi exponit, et asserit se ex libra semisse radicum Betæ vulgaris dimidiam Sacchari unciam obtinuisse. D. *Boudet* didicit in Silesia, Illustrem Dominum *Koppi* ex duobus millibus centipondiis radicum Betæ tum rubræ tum albæ, 1mo anno, confecisse septem millia librarum Sacchari tum Candi tum Cassonadæ, sex millia librarum melassæ, bis mille quingentas lagenas taffiæ; et bis mille lagenas aceti.

Secundo anno ex duodecim centipondiis Betæ obtinuit, quinque millia librarum Sacchari, quingentas supra ter mille libras melassæ, et proportionatim plus taffiæ et aceti.

Quomodo in hac operatione et in cultura Betæ procedatur enarrat idem D. *Boudet* in *Bulletin de Pharmacie (h).* Loquitur illic etiam de emolumentis exinde resultantibus, et tandem de natura cujusque dictorum productorum.

Saccharo etiam abundat

2° BETULA *alba. LINN.* Vid. LIGNUM NEPHRIT.

(g) Opuscules. T. I, p. 213.
(h) N° 2, *premier ann. p.* 77 *seqq.*

" Ex succo Betulæ ait *De Beunie (i)* ex trunco, ramis et radicibus incisis exstillante, millenæ Sacchari libræ in America, in Coloniis Anglorum septentrionalibus, componuntur; id melius et salubrius reputatur quam Saccharum ex arundine saccharina compositum. *Cartheuser* idem obtinuit ex Betula Europæa".

Verno tempore vulnerata dum glubit, succum largitur, ex cujus 80 poculis Suecicis juxta experientiam D[ni] *Stalhammer (k)* confici possunt tres pintæ syrupi, multo melioris nostro syrupo officinarum ordinario, subnigro, qui pro culina Saccharo optime surrogatur.

Quando vernalem illum humorem sic subtrahimus, cavendum ne arbores plane enervemus et ut foramina iis inflicta obturamento ligneo repleamus.

Succus iste leni coctione inspissatur et Mannæ fere similis evadit, vel pro voluntate syrupum constituit plus minus spissum.

3° ACER, *Pseudo-Platanus. LINN.*
Acer montanum candidum. BAUH. pin. 430.
Acer major. DOD. pempt. 480.
Gallice, *Sycomore*, ou *Erable blanc de montagne.*
Belgice, *Grooten Acer*, of *Booghout.*

Ex hac arbore quæ in sylvis montosis crescit, in Canada et Virginia magna copia Sacchari educitur et illic commercii objectum evadit. Quomodo id imitari possemus, apud DD. *Sarrazin (l)*, *Gautier (m)* et *Kalm (n)* legere est.

Colitur hic varietas foliis variegati coloris.

(i) *Ibid. p.* 17.
(k) *Mém. de Suede. Vol. XXXV, p.* 335. *et Biblioth. du Nord T. III, p.* 180 *seq.*
(l) *Mém. de l'Acad. des sciences de Paris*, 1730. *Hist.* 65.
(m) *Mém. des savans étrangers. T. II, p.* 378.
(n) Collect. acad. part. étr. T. II, p. 422.

4° ACER *Saccharinum. LINN.*
Gallice, *Petite Erable plane*, ou *Erable à Sucre.*

Hæc arbor circa æquinoxium vernale sauciata æque ac præcedens succum largitur ex quo Saccharum confici potest. Crescit hic vegeta in hortis botanicis.

5° APOCYNUM, *Canabinum. LINN.*
Gallice, *Apocin* ou *Soyeuse.*
Belgice, *Periploca* of *Apocynum.*

Clima nostrum huic plantæ, ex qua Ægyptus Saccharum suum adipiscitur, apprime convenit.

6° DAUCUS *Carota.*
Gallice, *Carotte.*
Belgice, *Geele Pee.*

Radices verum Saccharum largiuntur.

A novissimis vero Auctoribus Saccharo surrogatur succus Uvarum et Pomorum:

In Saccharum liquidum conficiendum consumitur hodie magna pars succi Uvarum Galliæ australioris; septentrionem versus poma et pyra suppetunt ad eumdem usum propria.

Docet D. *Dubue (o)* methodum qua id fit: Ex lib xviij. succi expressi bullientis pomorum dictorum d'*Orange* obtinentur circiter lib. iij. syrupi sive sacchari liquidi gratissimi, loco melassæ vel cassonadæ fuscæ administrandi. Valent et aliæ species Pomorum, ùt *doux l'évêque*, *le blanc-mollet et le girard.*

Demonstratur syrupum Pomorum qualitate inferiorem et pretio majorem esse syrupo Uvarum *(p)*. Tamen

(o) *Bulletin de pharmacie. T. I., p. 39 seqq.*
(p) *Bulletin de pharm. Février 1809. p. 85 seq.*

D. *Laroche* dicit (*q*) : *Je crois que nous aurons peine à y faire du benefice.* .... D. *Masson-Tour* (*r*) syrupum Uvarum cum successu adhibuit ad compositionem plurium syruporum medicinalium.

SAGO sive *Substantiæ medullari, farinosæ trunci Sagi farinifera, Arecæ oleraceæ, Cycadis circinalis, et Cycadis Japonicæ*

SUBSTITUITUR

FŒCULA *tuberorum Solani esculenti*, quæ eamdem naturam ac proprietates habet ait *Parmentier* (*s*). *Elle peut donc* (adjicit) *le remplacer dans toutes les circonstances où son usage est prescrit comme aliment medicamenteux.*

Fœcula autem ita comparatur : Tubera illa probe mundata et lota abraduntur ; rasura seu pulpa aquâ diluitur, dein effunditur in cribrum setaceum. Percolata aqua secum duxit Fœculam, quæ subsidet in fundum vasis recipientis. Decantata aqua supernatante, Fœcula pluries nova aqua lavatur donec omnino pura sit. Tandem decanta, desicca, et trajice per cribrum sericum.

Hæc operatio ante hiemem fiat fas est, quippe quo diutius tubera e terra eruta fuerint eo intimiùs Fœcula aliis illorum principiis unitur et difficilius separatur.

Quando Sago hoc nostras coquere libuerit, hujus cochlear unum sensim immiscetur aquæ calidæ aut lactis calidi libræ uni, continuo agitando et malaxando ut probe diluatur ; dein agitationem continuando leni igne coquitur per horæ circiter dimidium ; tum saporis gratia additur Saccharum et aroma pro libitu, e. g. Cinamomum, corex Citri, Crocus, &c.

(*q*) *Ibid. Mars. p.* 138.
(*r*) *Ibid. Avril. p.* 166.
(*s*) *Ibid. p.* 326.

Non solum delicii loco habetur, sed morbo et tabe emaciatis peneque confectis probum quoque nutrimentum vel potius medicamentum demulcens præbet; ùt habet *Paul Jac. Malouin* (*t*).

Tria kilogrammata vel lib. vj. tuberorum largiuntur semi-kilogramma sive lib. j. Sago.

SALEP seu *Radici* ORCHIDIS PERSICÆ

SUBSTITUITUR

1° ORCHIS, *Morio.* LINN.
Orchis morio, femina. BAUH. *pin.* 82.
Triorchis, Serapias mas. FUCHS. *Hist.* 559.
Gallice, *Orquis Bouffon.*
Belgice, *Salep-boontjens.*

Possunt ei quoque substitui omnes aliæ species Orchidis etiam fœtidæ, cum ut ostendit *Moult* (*v*), post præparationem nulla inter eas differentia observetur: fœtor hircinus non bulbis sed floribus inest. Sic

ORCHIS *bifolia.* LINN.
ORCHIS *alba bifolia* (et *trifolia*), *minor, calcari oblongo.* BAUH. *pin.* 83.
Gallice, *Orquis blanc.*

ORCHIS *laxiflora. Flore Française. T. III,* – 504.
ORCHIS *ustulata.* LINN.
ORCHIS *militaris.* LINN.
ORCHIS *latifolia.* LINN. tandem *maculata* et *conopsea.* LINN.

In pratis et sylvis umbrosis sat copiose inveniuntur. Bulbi viribus suis eximiis inviscantibus, lubricantibus, nutrientibus cum radice Persica, ùt jam dudum

---

(*t*) Disſ. an Sagon phthysicis prodest? Pariſ. 1734.
(*v*) *Phil. Transactions. Vol.* 59.

Degnerus, dein *Hallerus* asseruēre, multum conveniunt. Postmodum ulterioribus experimentis docentibus, illos penitus æquivalere affirmaverunt *Quarin* (*u*), *Percival* (*w*), *Coste* et *Willemet*, *Burtin* (*x*) *Desbois* (*y*).

Bulbi siccati, pulverisati et aqua aut lacte diluti cum Saccharo, nutrimento sunt Turcis, juxta *Buc-Hoz* (*z*), sub nomine *Salab*. Apud nos solis ægris præscribuntur. " Effectum eorum insignem observavi ait *Wauters* (*a*), in epidemia dysenterica annorum 1781 et „ 1782, ubi decoctum eorum paregorici loco sæpe ad- „ ministrabam; et tandem fomite expulso aut in quarta „ specie *Zimmermanni*, solum hoc decoctum, cui „ plus minus Cinamomi adjiciebatur, crebro totam rem „ felicissime perficiebat ". . . .

" Singula drachma Salep in pulverem redacta octo „ lactis vel aquæ fontanæ alteriusve vehiculi unciis „ maceratur, ac dein igni lento lenique admovetur, „ ac ita propemodum omni ex parte in gelatinam sive „ mucilaginem abit, cui demum pro scopo diverso „ diversa admisceri queunt ".

Cullen loquens de farina Salep, dicit: *J'en ai vu faire à Edimbourg avec l'*Orchis bifolia, *qui étoit aussi pure et aussi parfaite, que celle qui vient de Turquie* (*b*).

Clar. *Geoffroy* (*c*) docuit jam ab anno 1740 methodum radices Orchidis nostratis præparandi ad modum radicis Salep exotica. Hanc methodum emendavit *Retzius* (*d*). Methodus tandem optima est, qua illas præparavit

(*u*) Method. medend. febr. p. 33.
(*w*) *Essays med. and experiment. Vol. II*, *p.* 37.
(*x*) *Mém. couronn. p.* 15 *seq.*
(*y*) *Ibid. T. II*, *p.* 33.
(*z*) *Manuel élémentaire des plantes. p.* 471.
(*a*) Diss. botanico med. p. 56.
(*b*) *Traité de mat. méd. T. I*, *p.* 293.
(*c*) *Hist. de l'Acad. des sciences.* 1740.
(*d*) Schwedischen Abhandl. vom jahr 1764.

D. *Moult*, quam *Percival* amplectitur. Est autem sequens :

Effodiuntur dictæ radices quum semina formata fuerint et caulis arescere cœperit, frigidâ lotæ et mundatæ macerantur tantisper in aqua calida, tum aufertur mediante linteo aspero cortex, deinde super orbem stanneum imponuntur furno, more solito calefacto : relinquuntur ubi sex aut ad summum decem minuta ; tantillum temporis sufficit ut quasi corneam et semipellucidam nanciscantur consistentiam, nihil amittendo voluminis ; tum filo acû trajecto appensæ in aëre ulterius siccantur.

3° *Tubera* SOLANI *esculenti.*

D. *Parmentier* publico communicavit methodum ex tuberis Solani esculenti (*pommes de terre*) parandi Salep adeo simile vero Saleb Persico, ut huic multis in circumstantiis substitui posset. Methodus autem hæc est : Quando radices Solani esculenti ebullitioni proximæ sunt removentur ab igne, decorticantur, transversim in frusta scinduntur, exponuntur per triginta horas calori furni, postquam panis exemptus est : eo temporis spatio satis siccantur et tres quartas gravitatis suæ amittunt, nec non instar cornu pelluciditatem et duritiem acquirunt ; non secus ac gummi Arabicum, pulverem album largiuntur ; qui in ore saliva affluente facile solvitur et aquam mucosam reddit. Hæ sunt generaliores radicis Saleb proprietates.

Farina dictorum tuberorum simpliciter siccatorum infringit albedinem panis frumentacei, gelatinæ aut jusculi quibus admiscetur ; non ita si in Saleb prius præparata et subtiliter pulverisata fuerint : tunc enim nihil coloris, odoris, saporisve addunt.

Si medendi scopo servire debeant : Rec. pulveris ipsorum unc. unam. Coq. per unam quartam horæ in aquæ font. unciis octo, colat. adde parum Sacchari

et corticis Citri: hæc dissolutio refrigerata gelatinæ albæ speciem refert, cujus unum vel duo cochlearia exhibentur omni bihorio.

Quatuor libræ Tuberorum largiuntur libram unam Saleb.

D *Parmentier*, cujus hic tantum interpretem ago, exhibuit bono cum successu Saleb suum ubicumque radix Saleb Persica indicabatur, et tandem articulum hunc lepide claudit, dicendo: " Je n'ai pas envie de ,, dogmatiser en médecine, ni d'enlever aux riches ,, leur Saleb qu'ils achetent vingt francs la livre: ,, celui dont je parle coutera fort peu de chose, et ,, on me permettra de le nommer le Saleb des pau- ,, vres gens".

SANTONICUM. Vid. Art. MUSCI CORALLINI.

SARSÆPARILLÆ

SUBSTITUITUR

1° SOLANUM, *Dulcamara. LINN.*
Solanum scandens seu *Dulcamara. BAUH. pin.* 167. *DOD. pempt.* 402.
Gallice, *Douce-amère.*
Belgice, *Alfrank*, *Bitterzoet.*

Crescit in fossis, lacubus, paludibus, a longo tempore non depuratis, etiam interdum juxta ea inter alnos et alias plantas.

Apud Suecos notante *Bergio* (e) communissimi usûs est in decoctis sanguinem mundificantibus. *Rosenstein* (f) decoctum stipitum Dulcamaræ qua remedium antiherpeticum decocto radicum Chinæ anteponendum

(e) Mat. med. p. 152.
(f) Hos och Rese-Apeteque, N° 47, §. 9.

credit. D. *Back* Præses Collegii Medic. Holmiensis indifferenter Dulcamaræ et Sarsæparillæ decoctum laudat, in fine orationis quam pronunciavit *Joannes Gust. Hallman* ad suum tamquam Assessoris introitum in Collegium medicum *(g)*. In disputatione habita Upsalæ 1752 *(h)* dicitur *Linnæus* primùm detexisse Dulcamaræ virtutem in depurando sanguine aut saltem primùm recte denotasse ejus dosim. Postmodum in sua *Mat. med.* et in particulari Dissertatione de *Dulcamara* illam laudat *Linnæus* tamquam remedium sanguinem attenuans et mundificans, diureticum, in ulceribus, rheumatismo, ictero, pleuritide et asthmate, in scabie et in malis venereis conveniens. Sic et alii plurimi: *Welsch (i)*, *Haller (k)*, *Schwenke (l)*, *Crantz*, *Sauvage*, *Coste* et *Willemet*, *Fouquet*, *Piquot &c.* putârunt. Amplius tandem de *Dulcamara* egit et prædicta confirmavit D. *Carere (m)*: ipsam potissimum efficacem probat imitatus *Muys*, *Wier*, *Buchwald*, *Hamnerin*, *Linnæum*, in rheumatismo, podagra, lue venerea nec non in vitiis cutaneis. Tanto perfectior analogia est inter *Sarsamparillam* et *Dulcamaram*, quod ambæ per eadem colatoria agunt, nempe per sudores, per urinam et alvum. His omnibus nuper sigillum apposuit D. *Wauters (n)*, qui, cum pridem ostendisset *(o)* Dulcamaræ virtutes jam anno 1743 insigniter notas fuisse cuidem Chirurgo

---

(g) Lätt och minst kostsamt sätt, at bota och förekomma venerisk smitta hos gemene Man, i brist af veneriske curhus. Stockholm, 1774.

(h) De obstaculis medicinæ, respondente Beyersten. Amœnit. acad. Vol. III.

(i) Ephem. N. C. Decad. I, an 4. 5. Append.

(k) Hist. plant. Helvet. T. I, p. 249.

(l) *Kruidkundige beschryving. p.* 53.

(m) *Mém. sur les vertus, l'usage et les effets de la* Douce-amère. *Paris*, 1780.

(n) *Tableaux d'essais pratiques sur quelques remèdes usités à l'hôpital civil de la ville de Gand. p.* 40 *seqq.*

(o) Diss. botan.-med. p. 63.

nomine *Van Breusegem*, jam in tabulas reduxit 54 observatiunculas factas in nosocomio civili Gandavensi, quæ omnes, quamtumvis ùt ipse fatetur, rudes, virtutem Dulcamaræ antirheumaticam, antiarthriticam, antiherpeticam &c. plus minus probant. Alibi vis ejus antivenereæ exemplum adduxit (*p*).

Althof (*q*) narrat aliquot casus, qui virtutem sanguinem mundificantem etiam non obscure demonstrant. Sic:

CASUS PRIMUS

Vir ætatis 36 circiter ann., ab anno æt. suæ 18vo eruptione scabiosa laboraverat, quæ dein herpetica et tandem quasi leprosa facta erat. Præterea affligebatur tussi, asthmate, crebris peripneumoniis spuriis &c. Frustra plurima remedia adhibuerat: mercurialia nociva observabantur.

Ægro huic præscribebat Auctor ille mense Septembri 1786, infusionem stipitum Dulcamaræ et pilulas ex *extracto* et *pulvere ejusdem* cum $\frac{1}{4}$ *Antimonii crudi*; quarum quotidie 15 ad 30, bis, ter vel quater capiebat, superbibendo scyphum aquæ. Nunquam remedium aliquod in morbo chronico tam inveterato et tam altis fixo radicibus evidentiorem, promptiorem, certioremque effectum præstitit: necdum elapso octiduo undequaque manifesta observabatur amelioratio. Quatuor post septimanis cutis sana hinc inde, etiam in locis pessime affectis, se perspiciendam offerebat; et eadem proportione levabatur pectus. Mense Octobri solummodo aliquæ leves reliquiæ affectionis cutaneæ infra suras observabantur. Hactenus tamen præter superius dicta re-

---

(*p*) Tractatus de exutorior. delectu. Parisiis, 1801. §. CLIX. pag. 137 seq.

(*q*) Practische Bemerkungen über einige Arzneymittel. Göttingen, 1791. I. Bändchen, p. 246 seqq.

media, infusum nempe et pilulas, nihil adhibitum fuerat. Postea adhuc alia auxiliaria addita fuerunt. Exeunte Februario valetudo integerrima erat.

Mense Octobri 1787 postquam fere 7 menses omni medicatione valedictum fuerat; perfecta corripiebatur recidiva, quae jam praedictis remediis non cedebat.

CASUS II.

Vir quadragenarius ex multis jam annis speciali eruptione cutanea manus obsitas gerebat. Eminebant exiguae pustulae instar granorum Milii, quae latice seroso replebantur, primo notabiliter pruriebant, dein plerumque rumpebantur, et vehementi urentique dolore cruciabant. Æger hic eadem ac praecedens remedia sumebat et morbus mox sensibiliter diminuebatur; sed cum non eadem semper qua coeperat celeritate sanatio progrederetur, alieno suasu, aeger uti malebat sic dicto *Sale philosophico aureo*, quod copiosum producebat sudorem. Cura nunc prompte absolvebatur, an hujus solius salis auxilio; an datae immediate ante Dulcamarae virtute? Ambiguus haret Auctor. Saltem ubi alias dedit hoc sal, exitus minus felix fuit.

CASUS III.

Vir aet. 20 ann., eruptione cutanea in facie ab anno cum dimidio deturpabatur. Multa antimonialia et mercurialia in vanum administrata fuerant. Sola infusio Dulcamarae abunde potata intra tres septimanas eum penitus curabat.

CASUS IV.

Alius priori fere coaetanius, ex 4 mensibus maligna et rebelli scabie; attactu contrectata et initio neglecta torquebatur. Omnia adversus eam administrata remedia

frustranea acciderant: ubi aliquae pustulae exsiccatae decidebant, aliae mox infinito numero apparebant. Irrita quoque fuerant unguenta Sulphurina et Mercurialia; data vero quotidie auctiori dosi Dulcamarae infusio, eam, pariter trium hebdomadum spatio, profligabat.

CASUS V.

Alius pessima scabie liberatur spatio duarum hebdomadarum, infusum Dulcamarae bibendo et aliquot sumendo eccoprotica.

CASUS VI.

Juvenis muliercula plus quam quinque annos mentum eruptione deturpatum gesserat, quam cùm depurantibus internis debellare nequiret, nescio quibus topicis aggressa demum repressit. Interim prima vice ingravidata brevi sentiebat similem jam eruptionem vulvam et pudendorum labia obsidere, ubi et tumore et dolore molesta accidebat; sed sedulo applicatis linteis aqua calcis imbutis discutebatur. Mortuum pepere bat infantem et post puerperium sat bene se habebat. Tribus circiter post mensibus corripiebatur dolore faucium qui deglutitionem lædebat, et ex ulcusculo oriebatur. Hoc quidquid moliebatur medicus, non sanabatur, e contrario; superveniebant etiam extrinsecus sub pomo adami continenti successione glandularum tumores, qui inflammabantur, suppurabantur ac tandem rupta 4 vel 5 profunda quasi scrophulosa ulcera formabant. Tumor perseverabat et sua in æsophagum pressione doloreque deglutitionem etiam liquidorum oppido impediebat. Menstrua regulariter prodibant, ast aliquot ante hæc diebus faucium tormenta nonnihil exasperabantur. Remedia crebro sat activa sine fructu adhibita fuerant; unde et ex præteritis circa vulvam malis facile venerei quidpiam subesse in mentem induci potuisset; sed

hac intentione data mercurialia pessime cedebant. Interim a prima ad mentum eruptione jam anni plus quinque præterlapsi erant et percuratio sensim magis anceps evadebat: subjecti irritabilitas intensior fiebat, pulsus fere continuo febrilis et concoctio ciborum omnino turbata. Indies 4 vel 5 secessus habebat et grana v. Rhei ultra 20 sedes dolorosas ac difficiles ei excitabant. Hisce sub circumstantiis consulebatur D. *Althof.*

Cum nec probi mores utriusque conjugum, nec quidquam aliud, de venereo malo suspicari sinerent, cumque metastasis eruptionis a mento ad pudenda in recens matrimonio juncta et jam prægnante facile conciperetur, cumque infelix successus mercurialium suspicionem quamcumque tolleret; cum tandem ægrota ante eruptionem in facie optima frui soleret valetudine, nec ullam aliam prædisponentem labem in ea detegere valeret Auctor; concludebat nil prius esse, ac Dulcamaræ vires hic experiri. Ordiebatur itaque misera infusione et pilulis uti; utrumque facile ferebat, et brevi ad magnam dosim ascendebat. Octiduo elapso menstrua apparebant; fausto præsagio habebam, dolores ad fauces hac vice non exacerbari, quod antehac semper fieri dixi. Nihil mutabatur in cura externa, ut tanto certiores fuissemus de effectu Dulcamaræ. Subsequente octiduo videbatur tumor diminui, pus ulcerum melioris notæ esse, et meliorescentia hæc quotidie progressum faciebat evidentiorem; pulsus evadebat tardior, appetitus et digestio meliores, excretio alvina regularior. Trimestri spatio ulcera sanata et tumores glandularum dissipati inveniebantur. Mulier jam abhinc quadriennio integerrima sanitate fruitur". Ait *Althof.*

CASUS VII.

Ut brevis sim. Hic potio infusi Dulcamaræ liberabat puellam pessimo herpete humido, qui triennio duraverat, spatio paucarum hebdomadarum.

CASUS VIII.

Sic idem infusum sanabat intra 4 septimanas ophtalmiam chronicam ex repercussa scabie ortam, frustra adhibitis antea vesicantibus, cucurbitulis, purgantibus drasticis, colliriis variis.

CASUS IX.

Pilulis et infusione sanatur mulier, ulcera inveterata cum tumore in cruribus, sub puerperio nata, a decennio, gerens. Ex hoc tempore tres pepererat infantes, qui omnes ante quinquennium cachexiâ fatis cesserant. Intra duos menses ulcera et tumor pedum plane disparuerunt.

CASUS X.

Fluor albus non venereus, sed acris, novem annos perdurans, in muliere trigenaria percnratur pilulis et infuso; ubi antehac omnigena alia remedia irrita fuerant.

Primus effectus qui ex usu horum remediorum observabatur, erat inspissatio, mitificatio et augmentum materiæ effluentis. Hæc dein rursus copiâ diminuebat. Sanguis menstruus qui ipsi parcus omnino et aquosus fuerat, ad naturæ ritum copia, colore et consistentia accedebat. Post semiannum perfectæ sanitati restituta erat.

CASUS XI.

Virgo æt. 25 ann., pariter fluore albo valde acri a tribus annis laborabat. Quatuor ante annis scabies ipsi unguentis et balneis curata fuerat. Fluxus menstruus ordinarie valde irregularis, nunc durante motbo

sex menses emansit. Consulebat ei Auctor infusum Dulcamaræ, quod ventriculus ægre ferebat: minima dosis ipsi excitabat nauseam imo quandoqne vomitum. Etiamsi ingrata operatio, addendo cortices Aurantiorum, diminuebatur, operosum erat D.no *Althof* ægram ad debitum remedii usum inducere. Interea paulatim assuescebat indies assumere quatuor libras infusi, quod continebat unciam semis stipitum Culcamaræ et drachmam unam *Corticum Aurantiorum*. Sic effluvium brevi omnem deponebat acrimoniam, et quantitas ejus sensibiliter minor evadebat. Post septimanas sex nil triennalis incommodi supererat, nisi leve effluvium laticis mucosi nullatenus acris. Hoc continuato Dulcamaræ usui non cedebat; postea vero extractis amaris, Quassiâ, Myrrhâ penitus tollebatur, et periodicus mensium fluxus unà optimo prodibat ordine.

Hæc mundificantem Dulcamaræ virtutem manifeste demonstrant, sed fatetur Auctor ingenuus, effectum ejus non in omnibus aliis occasionibus ipsi æquè prosperum fuisse. " Præsertim inlit adversus recentem scabiem, aliquoties etiam adversus inveteratas cutis eruptiones incassum illam adhibui. Sed pro compensatione addit, etiam in plurimis aliis, præter hic enarratos, cacibus, et contra multas alias infirmitates, præcipue contra veteres rheumaticas et arthriticas affectiones cum emolumento eam administravi, raro hic adhibebatur sola.

Commendat D. *Wauters* obnixe ut adhibeantur stipites crassiores, et dosim longe majorem quam dari solet non pertimescendam esse docet, præsertim si adbibeatur hæc planta in regionibus Gallia septentrionaliorибus, collecta. Dedit ipse in decocto uncias duas stipitum pro lib. ij. aquæ intra biduum bibendis; pugillum unum in infuso unica vice sumendo pro theario ordinario, sive unius libræ circiter. " Vidit inquit stupens unam ex ancillis suis thearium omnino implentem stipitibns siccis optimæ notæ tenuiter incisis, non

vero contusis, affundentem aquam bullientem et hoc infusum bibentem, absque ullo gravi incommodo superveniente; solummodo levem observabat ancilla tremorem in omnibus corporis membris; hoc autem remedio per mensem fere continuato plane sanabatur ab ophthalmia chronica herpetica, quæ annum et ultra duraverat. Quod plus est, " dedimus sæpius addit, unciam semissem extracti cum lib. j. decocti, bidui spatio sumendam (*r*)".

2° HUMULUS *Lupulus. LINN.*
Lupulus, mas et femina. BAUH. pin. 298.
Lupulus. DOD.
Gallice, *Houblon.*
Belgice, *Hop.*

Crescit in sepibus et colitur abunde in Departemento Schaldeos circum Alostum, in Departemento Lysæ prope Capricam, in illo Jemappæ prope Leodium &c.

" Sanguinem depurare olim *Saladin*, ... In lue venerea inque scabie, Sarsæparillæ loco exhiberi posse recte *Floyer*"; inquit *Hallerus* (*s*). Radices Lupuli in Gallia loco Sarsæparillæ promiscue veniunt, prout post operosas inquisitiones DD. *Coste* et *Willemet* detexerunt. Potissimum in Lotharingia plurimos annos jam tum substitutio hæc per fraudem aut (si mavis) industriam cujusdam Herboristæ locum habuerat; ita tamen ut neque pharmacopœi neque Medici ex effectibus adulterationem hanc detegerent.

Non modo radices Lupuli sed et tota planta inter sanguinem mundificantia numeranda videntur, velut *A. Freake* ostendit (*t*): Mulieri octogenariæ ex scor-

---

(*r*) *Tableaux d'essais prat. p.* 42.
(*s*) Hist. Stirp. indig. Helvet. T. II, p. 290.
(*t*) *Medical and phys. Journal. Vol. III, p.* 432 *seqq.*

butica humorum labe, cum pluribus aliis incommodis, dolores vagos arthriticos, cutaneam subinde eruptionem &c. jam viginti retro annos passæ, præbebat tincturam Lupuli, ad drachm. j. bis indies, per sedecim dies, aqua dilutum, sumendam. Inde dolores vagi et reliqua mala minuebantur. Tum adhuc per mensem quotidie ter eamdem tincturam sumi jubebat, addebasque usum pulveris Lupuli in pilulas redacti nec non infusum foliorum ejus. Tribus mensibus elapsis omnis ferme infirmitas disparuerat ac nulla exin eruptio fuit visa. Post felicem illum eventum numerosis admodum ægris remedia illa præscripsit: pululatum et infusi ope podagrici vires brevi recuperabant; tumores et inflammationes solito citius dissipabantur.

Podagricus qui duos annue paroxysmos perpeti solebat, iisdem auxiliis a morbo suo immunis mansit. Ignoramus quamdiu postmodum Auctor hac scripserit.

Unicum remedio incommodum est, quod caput sub ejus administratione, interdum tantisper obruatur.

Simplex tinctura Lupuli ita conficitur:

℞. *Herb. Lupuli* libr. j.
Sp. vin. mensuras (kannen) viij.
F. S. A. Tinct.

Ordinaria dosis est drachma una aquâ diluenda, semel vel iterum quotidie. Vix unquam dosim duplicabat. Dabat præterea Lupulum sat frequenter sub forma pulveris, extracti, decocti, conservæ.

Lupulus humores mundat et una egregium tonicum est; sedativas quoque aperitivas et diureticas vires exercet.

" Quartus jam annus est, inquit Auctor, quo hac herba cum optimo successu utor. Aliqui medici credunt eam arthriticos humores non tantum non corrigere aut evacuare, sed potius eos generare. Verum

multiplicatis meis experimentis contrarium asserere queo". Tandem concludit his verbis: " Si præmium discerneretur ei qui inveniret remedium paroxysmis podagricis mitigandis, tollendis, infringendis maxime idoneum, ratum habeo me illud obtenturum esse consulendo Lupulum".

3° SARSÆPARILLÆ GERMANICÆ *Radix*.
CAREX *arenaria. LINN.*
Gramen cyperoides minus repens, spica divisa. LÆS. Prusf. 116, *T.* 31.
Carex maritima humilis radice repente &c. MICHELI.
Gallice, *Glayeul de sable.*
Belgice, *Helm.*

Stirps perennis in arena præsertim mobili habitans, quam egregie firmat, et quidem.... in Belgio.... (*v*).
Ubi ista deest jubentur substitui:

4° CAREX DISTICHA; *Spica composita subdisticha, spiculis ovatis subimbricatis androgynis, foliolo longiori instructis, culmo triquetro HUDS*, Flor. Angl. p. 405. Icon: *LEERS Fl. Herborn* Tab. 14, fig. 2. sub falso *Caricis arenariæ* nomine p. 195.

In pratis humidis frequens, nunquam in arena sicca perennis.

5° CAREX *hirta. LINN.*

Perennat in arenosis item ad fossas, aggeres, sepes.

Quoniam radix Sarsæparillæ officinarum tam ex variis speciebus smilacis, quam ex Aralia nudicauli *Linn.*,

---

(*v*) MURRAY, Apparat. med. Vol. T, p. 310. (Hæc iterum fere de verbo ad verbum ex hoc doctissimo Auctore describo.)

desumitur, et præterea sæpe vetustate vel alio vitio corrupta extat, pretio etiam eminet: in Marchia Brandenburgica anno circiter quinquagesimo ultime elapsi seculi Caricis arenariæ radix, quæ visa fuit illi analoga, substituta est *(w)*; dein pharmacopolia aliarum quarumdam Provinciarum Germaniæ intravit; item in exercitu Regis Borussiæ loco exoticæ istius radicis recepta est *(x)*. Ne vero locis ubi arena mobilis deest, radicis Caricis arenariæ penuria fieret, binæ posterius dictæ Carices instar succedanei commendatæ sunt *(y)*, quarum similis virtus ex odoris, saporis, formæ et analyseos chemicæ convenientia probabili argumento colligitur. In Franconia tamen vere Carex disticha *Huds.* Vices Caricis arenariæ, dum hæc deficit, optimo successu agit.

Odor radicis recentis non fortis sed grata et subtili acrimonia nares vellicans, quem *Gleditschius* comparat cum odore Pini *(z)*. Sapore instruitur farieaceo dulescente, simul balsamico. Quo profundius solo natali radix delitescit, eo efficacior censenda *(a)*. Saporis odorisque eadem est ratio in Carice disticha, uterque tamen paulo debilior. Radix Caricis hirtæ inodora et insipida est, unde non adeo recte reliquis virtute æqualis censetur.

Multum Caricem arenaciam cum Sarsaparilla convenire suadent earum decocta, quæ utraque saponoceæ indolis sunt, maculas pinquedinosas sub multa spuma delentia *(b)*.

Laudatur nominatim Caricis arenariæ vis explorata in pituita asperam arteriam gravante, in affectionibus rheumaticis et arthriticis *(c)*: in involvendo, resol-

---

(*w*) GLEDITSCH, Verzeichniß. der gewöhnl. Artzneijgewächse. p. 55.
(*x*) REUSS, In Nov. act. Nat. Curios. T. VII, p. 10.
(*y*) MERZ, Diss. de Caricibus quibusdam medicinalibus Sarsæparillæ succedaneis. Erlangæ, 1784. p. 9 seqq.
(*z*) Verzeichen. der gewöhnl. Artzneijg. l. c.
(*a*) GLEDITSCH ibid.
(*b*) MERZ Ibid. §. 16.
(*c*) MERZ Ibid. §. 16.

vendo et demulcendo non infimum locum tenere videtur. Accedit largior sudoris excretio quæ sub hujus usu prorumpere observatur.

Commodissime ingeritur forma decocti, nec tamen extracta spernanda.

6° RUMEX *acutus. LINN.*
Lappathum acutum seu *Oxylaphatum. BAUH. Hist. II, p.* 983.
Gallice, *Patience d'eau.*
Belgice, *Water-patik.*

Ulcera crurum, scorbutus, eruptiones cutaneæ et febris intermittens sunt 4 morbi quibus populus minoris fortunæ, qui paludosas incolit regiones, quam maxime subjectus est. Habet hic autem ad manum remedium malis istis valde appropriatum, scilicet Lappathum, quod in dictis regionibus præcipue juxta fossas, amnes, rivos abundantissime sponte crescit.

Ulcera crurum et pustulæ cutaneæ si decocto radicis hujus plantæ lavantur et fomentantur, vel si bibitur illud, sæpe sanescunt, sic ut Rumex acutus se efficaciorem exibeat quam *Sarsaparilla.*

Decoctum hoc solum vel simul cum aliis antiscorbuticis tantæ virtutis est, ut D. *Munting* Professor Groningensis dicat, decoctum hoc auro pretiosius esse. " Sæpenumero veritatem hujus asserti expertus sum ", ait *De Beueie.* (*d*).

7° BETULA *alba.* Vide Art. de LIGNO NEPHRITICO.

Betulæ albæ summitates et juniora folia remedium præbent sanguinem depurans valde efficax. Sic *De Beunie* (*e*) narrat, se decocto illorum intra breve

(*d*) Ibid. p. 33.
(*e*) Ibid p. 17.

tempus domicellam sanavisse a maculis herpeticis, quibus facies deturpabatur. Frustra adhibuerat multigena depurantia, decocta antiscorbutica, purgantia, unguenta saturnina, mercurialia, arsenicalia, in- et externa. Hoc mirum apparere non debet, addit, cum magnus *Boerhaave* succum hujus arboris ceu specificum commendet contra lepram, et *Gualterus Needham* asserat non solum scorbutum sed et phthysim scorbuticam ejus ope sanari.

8° POLYGONUM *amphibium. LINN.*
Potamogeiton salicis folio. BAUH. pin. 193.
Potamogeiton. DOD.
Gallice, *Persicaire amphibie.*
Belgice, *Fonteyn-kruyd.*

Crescit ubique in stagnis nostris.

Nititur substitutio radicum hujus plantæ iisdem rationibus quibus radicum *Lupuli* : D. *Burtin (f)* hanc adeo exactam arbitratur, ut inutile ducat de pluribus aliis Sarsæparillæ succedaneis agere.

Radices hæ, tum *Lupuli* tum *Persicariæ amphibiæ*, æstate colligendæ sunt, utpote quæ vere adhuc nimia polleant acrimonia.

9° SMILAX *aspera. LINN.*
Smilax aspera fructu rubente. BAUH. pin. 296.
Gallice, *Liseron rude.*
Belgice, *Winde.*

In hortis colitur.

" Radix insignibus viribus sanguinem purificantibus „ pollere dicitur, ita ut etiam Sarsæparillæ substitui „ possit " ait *Isenflamm (g)*. *Valmont de Bomare* quoque eadem est sententia *(h)*.

(f) *Mém. couronn. p.* 131.
(g) Lexicon BLANCARDI. Lipsiæ, 1777. p. 1147.
(h) *Dict. d'hist. nat. Art.* Liseron rude.

Plures aliæ adhuc plantæ substitui possent, sed de præcipuis locutus sum: " *Bardana*.... nec non viri-
,, dia juglandium putamina, vel æquant vel æmulan-
,, tur Sarsæ radicem..... *radix enim Bardanæ*, ut
,, *Baglivus* refert *(i)* a plurimis doctissimis viris pro
,, magno secreto habetur ad curandam luem Galli-
,, cam". Ait *A. C. Cocchius (k)*.

Adhuc addere lubet ex *Selle*, quod *radix Graminis* vix cedat efficacia Sarsæparillæ et gaudeat prærogativa vilis pretii. Decoctum, addit, et extractum ejus optimum constistuunt remedium sanguinem depurans *(l)*.

SCAMMONIO *Aleppino* sive *Syriaco* et *Smyrnensi*

SUBSTITUITUR

1° CONVOLVULUS *Sepium. LINN.*
Convolvulus major albus. BAUH. pin. 294.
Smilax levis major. DOD. pempt. 392.
Gallice, *Grand Liseron* ou *Lisette*.
Belgice, *Groote zagte Winde* of *Klokskens-Winde*.

Ad sepes ubique fruticibus circumvolutus.

Succus hujus plantæ inspissatus, docentibus *Hoffmanno*, *Trago*, *Hallero* &c. bonum purgans hydragogum est, habens omnes dotes Scammonii, quod ipsum de eadem gente sit, sed ad xx. grana sumi debet et ad xxx., ait ultimus Auctor *(m)*. Minus nocivum est quam Scammoneum officinale, juxta *Tragum (n)* et alios plurimos. Hoc nonnunquam succo *Tithymali* aut *Esulæ* mangonisatur *(o)*. DD. *Coste* et *Willemet*

(*i*) Prax. med. L. I, c. 9.
(*k*) Vindec. corr. Peruv. p. 15.
(*l*) Med. clinica. Berlin, 1797. p. 623.
(*m*) Hist. Stirp. Helvet. T. I. p. 295.
(*n*) Vid. J. BAUH. et CHERLL, Hist. plant. T. II, p. 155.
(*o*) BURTIN ibid. p. 74.

Scammoneum nostrum ad scrup. j. dederunt quatuor hydropicis optimo cum eventu : æque feliciter binis mulieribus cachecticis, etiam sine ullo extraordinario stimulo.

Datur et alia varietas Scammonei, nempe Monspeliacum, quod est extractum ex *Cynancho Monspeliaco Linn.* sive *Periploca Monspeliaca foliis rotundioribus. Tourn.*, at vix usitatur; *peu usitée* infit D. *Parmentier (p)*.

2° CONVALLARIA *majalis. LINN.*
Lilium convallium album. BAUH. pin. 304.
Lilium convallium. DOD. pempt. 205.
Gallice, *Muguet.*
Belgice, *Meybloemen*, *Lelitjes van den Dale.*

In plurimis sylvis apud nos invenitur.

Extractum florum spirituosum amara vi purgante pollet, ad drach. sem. sumptum *(q)*. Id in se ipso et in commilitonibus comperit *J. H. Schulze (r)*; etiam notat pilulas de massa post distillationem superstite factas purgare *(s)*.

3° SAMBUCUS *nigra.* Vid. Art. GUAJACI, p. 49.

Rure rusticis et in civitate plebi familiare est, in hydrope corticem medianum Sambuci adhibere, effectu non raro votis respondente, quod ego ipse aliquoties expertus sum. Nec mirum, attenta virtute ejus drasticâ Scammonei analogâ, minus vero ominosâ. " Remedium quod mihi successit ait *Buchan (t)*, in evacuandis

(p) Ibid p. 77.
(q) CARTHEUSER. ✠ SCHARSCHMIDT, Mat. med. p. 199.
(r) Diss. de Lelio convallio. Halæ, 1742.
(s) Mat. med. p. 164.
(t) *Méd. domest. T. III, p.* 158 *seq.*

aquis, et quod sub oculis meis ascitem radicaliter sanavit, est succus clarificatus corticis mediani Sambuci, ad unc. sumptus, sive ad cochlear ordinarium quater in die, cum duobus cochlearibus vini albi. Ægrotans hæc, erat filia 35 – 40 annorum, quæ aliunde semper optima fuerat sanitate et visceribus abdominalibus sanis. Postea roborantibus usa est, et exin optime valet.

Pluribus aliis occasionibus remedium istud administravit, at minori cum successu, cum non adferret sanationem perfectam; sed sæpe ægro solamen procuravit, educendo ingentem aquæ copiam per alvum et per urinæ vias. Aliquando vomitum excitat, id autem plerumque ob ventriculi cruditates evenit. Tum remedii usum interrumpere oportet, et, dato prius vomitorio ætati et viribus ægri approprietato, ad illud redire, quod ordinarie tunc bene cedit. Dico ordinarie, nam interdum vomitus adhuc perseverat, quo casu remedio supersedendum ". Etiam *Burcman* testatur, se ope corticis istius mediani Sambuci, anasarcam sanavisse (*v*).

Si cortex hic duarum drachmarum mole vino infunditur, valide purgat. Succus expressus ordinarie ad unc. sem. datur, sed quandoque apud robustos ultra integram unciam audacter ascenditur.

Plura alia quæ radici Jalapæ substituimus, hic quoque ceu drastica Scammoneo substitui valerent, qualia sunt juxta *Coste* et *Willemet* (*u*) Radix *Bryoniæ albæ* et Baccæ *Rhamni cathartici*; et juxta *Boerhaavium* (*w*) succus lactaceus *Selini palustris*. Tandem *Rhamnus Frangula*, cujus cortex siccus et recens secundum DD. *Coste* et *Willemet* a drach. j. ad unc. sem. in infuso datus, bonum purgans præbet. Ast judice D. *Burtin* infinito mitius apparet.

(*v*) Commerc. Norimb, 1742. p. 215.
(*u*) Ibid. p 49.
(*w*) *Vid. Dict. univ. de mat. méd. T. III, p.* 413.

SCILLA (*x*)

SUBSTITUITUR

COLCHICUM *autumnale. LINN.*
Colchicum commune. BAUH. pin. 87.
Colchicum. DOD. pempt. 480.
Gallice, *Colchique*, *mort aux Chiens.*
Belgice, *Lucht-Saffraen.*

Crescit sponte in pratis et in hortis colitur.

" Non est planta in pratis nostris quæ cum Scilla ita comparari possit, uti Colchicum ", ait *Ludwig* (*y*). Præstantiam hujus radicis optime describit *Collin* (*z*); et si experimenta et auctoritates pensitentur, facile cum *Schinzio* (*a*) præferremus oxymel colchicum scillitico, etenim illud sæpe juvâsse reperiemus ubi Scilla iners manserat.

Dosis initio curæ est drach. j. bis in die pro adulto, cum vehiculo quodam v. g. infuso Hysopi: 2do vel 3tio die exhibetur ter drach. j., tandem quater indies; sic sensim potest augeri dosis, donec quotidie assumatur unc. j. aut j. et sem. Si dosis hæc non sufficiat, tunc vix quidquam ex hoc remedio sperandum.

Adhibetur etiam aliquando pulvis hujus radicis. Docent experimenta in nosocomio Argentoratensi instituta egregium effectum ejus resolventem; idem docet *Buchnerus* (*b*), apud quem legitur pulvis radicis Colchici cuspidatim exhibitus in asthmate hypochondriaco præsentaneam opem tulisse. Pariter apud *Heverman-*

(*x*) *Scilla* invenitur quidem in littore maris in Normandia, sed parcius.
(*y*) Adversar. med. pract. Leips. Vol. II, Part. I, p. 724.
(*z*) Obf. circa morbos acut. et chron. P. II, p. 125.
(*a*) In proœmio ad Ill. STÖRCK libell. translat.
(*b*) Miscel. phyf. mathem. A.° 1728. p. 1212.

num (*c*) extollitur in obstructionibus glandularum meseraicarum et abdominis.

Cl. *Störck* vim rodentem radicis recentis agnoscit et eam acidis infringi ostendit. Præfert itaque oxymel ejusdem et hoc scillitico præstantius esse contendit. Sanati hydropis exempla Vir Ill. nonnulla habet (*d*).

Eruenda radix e terra circa æquinoxium autumnale, quando flos perire incipit. Secatur in taleolas, quæ in umbra exsiccantur.

Fortassis *Scilla* hic coli posset exponendo squamas ab invicem separatas calori moderato. Hoc D.no *Guettard* Parisiis sæpius successit : adnascebantur, infit, numerosi parvi bulbi ad unguem squamarum sive ad partem qua sibi invicem nectuntur. Id potissimum ut superius vidimus in Normandia ad litus maris succederet, et planta sic multiplicari posset.

SENNÆ ORIENTALI

SUBSTITUITUR

1° SENNA ITALICA (et GALLICA). *Foliis obtusis. BAUH. pin* 397.

Quæ prioris varietas est. *Fallopius* eam quæ in regione Narbonensi crescit exoticæ anteponendam censet ; et secundum 20 experimenta a DD. *Coste* et *Willemet* instituta, abunde purgant sine ullis torminibus, etiam in iis subjectis quibus ob teneritudinem fibrarum Senna Orientalis non absque incommodis daretur.

(*c*) Vermischten Bemerk. und Untersuch. der ausübend Arzn. Vol. I. ad Obſ. 4 de hydrope.

(*d*) Vid. Libellum de Colchico autumnali, 1763. Caſ. 5, 7, 8, 10, 13. Contin. experimentorum pag. 152, 155, 156, 221, 252, 254.

2° *Folia* FRAXINI *excelsioris.* Vid. Art. KINKINÆ, p. 203.

Ex in calidioribus regionibus imo in ipsa Occitania Mannam quandoque fundunt (*e*), et alvum blande purgant. Id quod a D.[no] *Tablet*, Sennæ eadem æquiparante, jam anno 1711 observatum est; sed iteratis nuperius experimentis constitit, dosi $\frac{1}{8}$ majori quàm quâ Senna datur opus esse; simul vero lotium pellit (*f*).

3° AMYGDALUS *Persica.* Vid. Art. KINKINÆ, p. 190.

Unusquisque cognoscit vim foliorum eccoproticam, apperitivam et vermifagam: has virtutes foliis inesse non latuit Cratonem: idem multiplici experientia *Boulduc*, *Coste* et *Willemet*, *Burtin* &c. compertum habent. Hic substituitionem hanc legitimam credit, quamvis quoad principia constituentia, quoad modum operandi et quoad dosim nonnihil inter se discrepent.

Optima præscribendi norma secundum *Coste* et *Willemet* hæc est:

℞. *Fol. Mal. Persic. recent.*, initio veris collect., conscisſ., unc. sem. ad unc. j. et semis.
Infund. p. noctem super cineres calidos in *aq. font.* unc. octo: postridie coq. p. moment. et colat. Add.
Syr. flor. Persic. unc. j. vel
Mellis unc. unc. sem.
F. haustus.

(*e*) MOUSSET apud DU HAMEL, *Physique des arbres. Part. I.*
(*f*) COSTE et WILLEMET ibid. p. 35 seq.

Nostra potio purgans data fuit plusquam quinquaginta hominibus (ajunt illi Auctores) et nullus fuit qui non agnoverit operationem ejus".

Bene notandum quod hæc folia colligi debeant initio veris, dum adhuc omnino tenera sunt, alioquin vim purgantem indurescendo amittunt.

" Syrupus ex floribus paratus datur ad unc. ij., conserva ad unc. j. In vino infusorum m. j idem præstat " inquit *Sennertus (g)*. D *Deslongchamps (h)* asserit, quod æquivaleat syrupus foliorum, quem Mannæ substituit et quem eodem modo et eadem dosi quibus hæc substantia exotica, operari agnovit. En quomodo præparetur: in lebetem ad $\frac{3}{4}$ aquâ repletum immittitur tanta quantitas foliorum, quantam lebes capere valet; coquuntur dimidiam horam circiter; exprimitur liquidum et rejiciuntur folia, sed denuo inditur æqualis copia foliorum in lebetem et eodem liquido rursus coquuntur &c.; idem ad tertiam vicem repetitur, et hoc tertium decoctum addita mellis q. s. in syrupi consistentiam tandem ulteriore decoctione inspissatur.

4° CARTHAMUS *tinctorius. LINN.*
Cnicus sativus, seu *Carthamus sativus* seu *Carthamus officinarum BAUH. pin.* 378.
Carthamus sativus. DOD.
Gallice, *Carthame* ou *Saffran d'Allemagne.*
Belgice, *Wilden Saffraen.*

Rusticorum Flandrorum horti ejus culturâ passim ornantur.

Quamvis juxta *Camerarium* semen *Carthami Europæi* minus purget quam *Alexandrini*, tamen ad mediocrem dosim drachmarum duarum in emulsione datum bonum purgans se exhibet; id expertus sum ait

(g) Epist. instit. med. 1644 p. 450.
(h) *Bulletin VI. de l'Ecole de méd. de Paris, et de la Soc. établie dans son sein*, 1808. *p.* 88 *et seq.*

Burtin; idque *Sennertus*, *Mosua* (*i*) et omnes qui ejusdem mentionem faciunt commendant. In *Diction. univ. de Mat. med. ad art. Carthame*, arguitur vero quod ventriculum infestat, tarde operatur et viscera turbat; sed ideo cum..... Galangæ..... aut Anisi tertia parte usurpatur" infit *Sennertus*. Dat illud in decocto a drach. iij. ad vj. *Ettmullerus* ita illud præscribit:

℞. *Sem. Carthami* drach. ij. vel iij. ad iv. cum aqua aliqua blande aromatica v. g. *Fœniculi Anisi* vel decocto seminis *Fœniculi* vel *Anisi*, redigatur in formam emulsionis purgantis elegantissimæ, adde
Aq. cīōī drach. j.
M. Detur pro una dosi.

"...: Vomitus quia movet ait *Jo. Heurnius* (*k*), corrigitur Galanga.... Aniso...., ex jure Galli coquitur et sorbetur jus. Dosis ejus a semiuncia ad sesquiunciam..... est remedium alvinum mite ac innocens".

Alii extractum ex hoc semine parant cum menstruo spirituoso v. g. sp. vini non adeo rectificato, cujus dosis a scrup. j. vel drach. sem. ad j., fortiter purpurgat.

5° COLUTÆA *arborescens. LINN.*
Coluthæa vesicarix. BAUH. pin. 396.
Coluthæa. DOD. pempt. 784.
Gallice, *Baguenaudier.*
Belgice, *Lombardsche Linzen*, *Wilde Sennebladeren.*

Invenitur hic passim in omnibus hortis sic dictis Anglicis.

(*i*) De re med. Lib. III. JAC. SYLVIO interprete. Lugdun. 1566. p. 97.
(*k*) Op. omn. Lugduni, 1658. T. I, p. 223.

Cardus et dein *Boerhaavius* illam vocârunt Sennam Europæam; folia et folliculi ejus similis formæ sunt qualis ea Sennæ Orientalium; hisce ista commiscentur in commercio, nec variato tamen effectu. *Fuchsius* auctoritate *Theophrasti* ductus, item *Gesner*, *Bartholinus*, *Garidel*, *Tablet*, *Linnæus*, quos citant *Coste* et *Willemet*, vix ullum inter hæc vegetabilia discrimen faciunt; *Mathiolus* tamen et ex eo *Dodonæus* et *Munting (l)* asserunt, quod non obstante virtute purgante Colutææ, male hæc Sennæ substituatur. In diversas itaque partes abeunt hi Auctores, nec magis rem decidunt *J. Bauhinus* et *J. H. Cherlerus*.

DD. *Coste* et *Willemet* decem ægris folia Coluteæ exhibuerunt sufficienti cum emolumento, ut iis medicinæ principibus consentiant, qui hæc foliis Sennæ, et folliculos ejus folliculis exoticis substituerunt. Præscribebant folia Colutææ ab uncia una et semisse ad uncias tres pro jubjecti viribus, cum Liquiritia, Aniso, Coriandro nec non pauxillo scrophulariæ, quæ calide infundebant per noctem in aquæ libris duabus; postridie coquebant ad levem ebullitionem, et de colatura dabant singulo mane duobus consequentur diebus, omni trihorio tres scyphos, injungentes ut interim juscu-lum de carne vitulina potarent.

Ebullitio non potest esse admodum notabilis neque expressio fortis; veluti etiam pro vera Senna vetatur.

Dicti DD. suis ægrotis hoc pacto septem octove copiosos secessus, absque virium prostratione excitaverunt.

6° GLOBULARIA *Turbith*, *Alypum*. Vid. Art. KINKINÆ, pag. 209.

Auctores seculi XVI[ti] eam vocabant Herbam terri-

(l) *Naauwkeurige beschryving der aardgewassen. Leyden*, 1696 p. 175.

bilem et Fruticem terribilem, accusantes eam de colicis atrocibus et de violentia periculosa. Sed observationes D.ni *Ramel (m)* et D.ni *Deslongschamps (n)* hanc diffamationis notam delevêre : est juxta ipsos purgans amarum et in omnigena Saburræ specie Sennæ vices feliciter reddens.

Dosis est drach. iij. ad vj. foliorum in decocto, purgans lene et certum constituit. Possunt administrari omnibus modis quibus administratur Senna. Novi agricolas infit *Garidel*, qui sumpserunt drachmam unam pulveris Alypi sine ullis incommodis. *Piton* vidit plures rusticos ex pago S.ti Chamæ assumentes drachmas duas in scypho uno cum dimidio aquæ, sine ulla hypercatharsi; imo *Ramel* dicit : *Prescrit seul et comme purgatif, la dose est d'une once, dans certains temperamens un peu secs, on peut ajouter à la decoction demi drachme de crême de tartre. Nous connoissons plusieurs pursonnes delicates qui jettent dans cette decoction quelques tranches de citron.*

Rustici patriæ nostræ, qui crebre hâc plantâ se purgant, illius in notitiam nos induxerunt..... Sæpe illam adhibuimus..... effectus ejus constanter felices fuerunt". Hæc cuncta ex *Ramel.*

D. *Deslongchamps* dedit decoctum hoc 12 ægris et omnes pro votis purgati fuerunt; nullus vero excepto uno alterove, conquestus est vel de minimo incommodo; nullis colicis doloribus neque nauseis torquebantur; dolores apud binos excipiendos vix sensibiles erant. Tandem sapore, colore et odore gratius est hoc decoctum decocto Sennæ. *Nous l'avons employée très-souvent..... ses effets ont été constamment heureux* inquit D. *Ramel.* In omnibus saburræ primarum viarum speciebus, debilitate aut inertia ventriculi productis &c., in diarrhœis ex iisdem causis natis, si non

(m) *Journ. de méd. T. LXI, p.* 380 *seqq.*
(n) *Bulletin VI. de l'Ecole de méd. &c. ann.* 1808. *p.* 86.

detur nimia irritatio in visceribus abdominis, in pluribus hydropis speciebus &c. illud commendat.

7° LINUM *catharticum*. *LINN.*
Linum pratense flosculis exiguis. *BAUH. pin.* 214.
Alsine minima. *DOD. pempt.* 30.
Gallice, *Lin purgatif.*
Belgice, *Purgeer-Vlas.*

Crescit in locis incultis humidis, plurimum juxta vias, in pratis &c.

Sat solenne habent in Anglia plebei sibi purgans parare ex pugillo uno hujus herbæ in vino aut cerevisia cocto, quod decoctum unico haustu evacuant. Etiamsi *James* ex aliqua observatione illud abdomen inflare arguat: redarguunt alii symptoma hoc, addendo carminativa, illidi.

Vogel asserit quod dosis drachmæ unius in pulvere vel pugilli unius aquæ vel sero lactis infusi, leniter purget. *Geoffroy* innuit quod dosis drachmæ unius duarumve foliorum recentium contusorum et in bolum redactorum, vel etiam drachmæ unius in pulvere cum pauco cremoris tartari et seminis anisi, lenissimum præbeat purgans, utiliter contra febres intermittentes et hydropem præscribendum. DD. *Coste* et *Willemet* in unica observatione illud ad dosim binarum drachmarum in infuso, cum unciis iv. aq. ferv. Sennæ substituerunt; colaturæ addebant syrupum gratum.

8° MERCURIALIS *annua*. *LINN.*
Mercurialis mas et *femina.* *DOD. pempt.* 658.
Gallice, *Mercuriale annuelle.*
Belgice, *Bingel-kruyd.*

Reperitur frequens secus vias et in locis incultis.

Anonimus Auctor *(o)* affirmat, quod folia utriusque

(o) *Hist. des plantes, Lyon*, 1753.

Mercurialis eumdem edant effectum ac folia Sennæ. Decoctum ejus in jure carnis gallinaceæ potionem præbet in febribus et in ictero utilem, inquit. Juxta Medicos Londinenses, indifferens est utra species Mercurialis adhibeatur mas aut femina (*p*).

HIPPOCRATES in acutorum principio materia turgente, alvum leniter apertam ex melle suo et oxymelle, decocto hordei abunde commixtis, servabat. Si vero mellita id minus præstabant, blanda valde purgantia porrigebat. Epid. 7, Sect. I *Cydis filio* die 6ta et 11ma morbi acuti data sorbitio est herbæ Mercurialis, quâ per alvum pituitosa mucosa, maleolentia egessit. Ibid. Sect. 2. *Andræas* 6to morbi die a Mercuriali probe egessit alvus. Ibid. *Aristocrati* alvi egestio a Mercuriali modica liquida, subalbida spumosa. Ibid. *Nicolai* filius die morbi 4to ab aqua Mercurialis egessit stercoracea et liquida. *Charion* bibit decoctum succumve Mercurialis quo laxâ alvo, dolor, qui ab hypochondrio ad ventrem descendere cœperat, abiit. Quandoque hunc succum adhuc diluebat. Libro 2 de morbis in gravi quodam morbo capitis "Quod si venter, inquit, enemate non subducatur, Mercurialem herbam, aqua coctam, contundito, succum percolato, ejusque parem portionem cum ptisanæ succo permisceto et pauco melle admisto, hunc ter die sorbeat".

Mercurialis igitur herba purgandæ molliter alvo ab HIPPOCRATE et Vetustioribus adhibebatur, idque frequenti adeo usu, ut *Galenus* Lib. 7 de simp. med. fac. scribat: Mercuriali utuntur omnes ad ventris purgationem dumtaxat.... *Dioscorides* Lib. 4, Cap. 169. utraque linozostis seu Mercurialis (mas et femina) in oleribus manditur ad alvum ciendam cocta in aqua, epoto jure, bilem aquamque detrahit.

(*p*) Pharm. Col. reg. Lond. T. I, p. 224.

Constat igitur sex saltem seculorum spatio Linozostin et mittissimum et vulgatissimum purgans fuisse, eoque illorum seculorum medicos in acutorum sive principio, turgente materia, sive declinatione ad crisim complendam, tute fuisse usos. Ita *De Haen (q)*.

D.nus *Du Bosch* in Watervliet, venerabilis senex, 83tium agens ætatis suæ annum, debilis constitutionis, jam usque ab annis multis, propter familiarem ipsi constipationem et colicos inde nascentes dolores, decoctum Mercurialis, optimo successu assumere suevit.

9° ANAGYRIS *fœtida. LINN.*
. . . . *BAUH. pin.* 391.
Gallice, *Bois puant.*

Obtinetur ex nostro solo.

D. *Peyrilhe* folia et semina alvum et vomitum movere dicit; sed observationes D.ni *Deslongchamps* probarunt, decoctum foliorum virtute quidem purgante pollere, tres vero imo quinque drachmas datas nequidem nauseam excitavisse. Ex his experimentis deducit, folia *Globulariæ Turbith* et *Anagyridis* congrue *foliis* et *folliculis Sennæ* substitui posse.

10° PRUNUS *Spinosa. LINN.* Vid. Art. ACACIA. p. 1.

Flores ejus, qui simul resolventes et incidentes sunt, ad pugillam unum in infuso aquoso dati, optime purgant.

11° CORONILLA *Emerus. LINN.*
Colutæa siliquosa minor. BAUH. pin. 397.
Gallice, *Coronille de Salerne.*

Colitur in hortis, itidem habitat Monspelii.

(q) Rat. med. Vol. III, p. 554.

Folia sua offert ⅓ minus purgativa quam folia Sennæ Orientalis. Vocatur etiam aliquibus *Senna spuria.*

12° CYTISUS, *Laburnum. LINN.*
Anagyris non fœtens minor. BAUH. pin. 391.
Gallice, *Aubours, faux ébenier.*

Sic dictus a Cythiso insula in qua abundat
Quæ habitat in sabaudia eumdem videtur præstare effectum.

Personæ aliquæ in alimentum tentabundi folia mandentes, vomitu et copioso alvi fluxu corripiebantur (*r*).

13° SAMBUCUS tam *Ebulus* quam *nigra. LINN.*
Vid. Art. GUAJACI, p. 49 seq.

Summitates et folia teneriora instar foliorum Sennæ alvum movent, senescendo vero vitutem purgantem amittunt. Vidi sæpenumero apud nos, rusticos tempore veris ea in lacte ebutyrato coquentes et sibi sic lene purgans parantes pluribus continuis diebus; quod ea anni tempestate admodum salutare fantur. Et juxta D. *Burtin*, familiare est rusticis (certo circum Bruxellas) in modum acetarii folia illa commedere, quod etiam eos leniter purgat.

" Folia olerum more cocta ait *Pedac. Dioscorides* (*s*), pituitam bilemque purgant ".

Cortex medianus vel in decocto vel in succo expresso adhibitus, magis adhuc alvum movet, ut superius Art. *Scammonium*, N° 3.

SERPENTARIÆ VIRGINIANÆ

SUBSTITUITUR

VALERIANA *Sylvestris.* Vid. Art. ASÆ FŒTIDÆ, p. 18.

(*r*) *Annales de la Soc. des méd. prat. de Montpellier. Tom. XVIII, p.* 304 *seq.*

(*s*) De mat. med. Lib. V. Lib. IV, Cap. CLXXV.

Ill. *Collin*, multos ægros morbis putridis ex transpiratione suppressa, contagio, aliisque causis contractis, magna cum virium prostratione, pulsu debili inæquali, somnolentia, sopore, deliriis, tremoribus, oculis turbidis, caliginosis, facie fere hippocratica, petichiis, et miliaribus erumpentibus junctis, laborantes, sæpius inde levavit. Sic Clar. *Junckeri* (*t*) et *Cartheuseri* (*v*) sententias, quas de Valeriana ferunt, Serpentariæ illam æquiparantes, egregie confirmavit (*u*).

Dosis unciæ unius, intra nycthemerum consumendæ partitis vicibus; quæ secundum indicata plus minus augeri posset.

Videmus quod Valeriana sit minus energica quam Serpentaria: idcirco Cel. *Hufeland* qui hanc substitu-ionem etiam adoptat, vult inertiam hujus plantæ compensare, ei addendo pauculas guttas olei ætherei ejusdem plantæ, vel Calami aromatici, vel Menthæ, vel Fœniculi, casu quo majus cupimus incitamentum.

Asarum quod a medicis Londinensibus inter aromatica recensetur (*w*), a nonnullis etiam Serpentariæ vires æmulari statuitur. " Radices Asari ob vim aromaticam habent multos usus ". Inquit *Fallopius* (*x*).

SIMARUBÆ *Cortici*

SUBSTITUITUR

1° LYTHRUM, *Salicaria*. *LINN*. Vid. Art. COLUMBO, p. 39.

Cortex Simarubæ quæ patriam Cayennam agnoscit,

(*t*) Therap. general. p. 111.
(*v*) Fund. mat. med. T. II.
(*u*) Vid. DRESKY, Diss. de Valerian. officinali. LINN. §. XXI.
(*w*) *Pharm. du Coll. de méd. de Londres. Paris*, 1771. p. xci.
(*x*) Op. omn. T. 1, p. 539.

vim tonico-roborantem, temperantem et sedativam præbet: idcirco in dysenteria et aliis alvi fluxibus, expulso fomite, utilissima.

D. *Lucas Misley* Expertissimus Medicus Castrensis in dysenteriis et diarrhæis castrensibus curandis Salicariam felix adhibuit. " Præstantiam remedii decem ,, variis experimentis agnovimus (infit *De Haen* (y)). ,, Dum enim dato prius purgante, drachma una vel ,, quatuor scrupuli pulveris hujus plantæ mane ac se- ,, ro dantur, et si morbus magis a laxis intestinis quam ,, a sordibus originem ducat, prætereaque nunquam ,, ex nimia collectione putrida nec ulcere intestino- ,, rum nec alicujus visceris tabitudine, ortus sit, intra ,, 3, 4 dies curatur perfecte, si recens est; paulo ,, vero longiore tempore, si est diuturnior. Annosam ,, diarrhæam ad quævis auxilia rebellem, trium septi- ,, manarum spatio eodem remedio percuravi. . . . ".

D. *Gardane Gazette de Santé, années* 1773 *et* 1774. *pag.* 65. affirmat quod decoctum Lythri salicariæ excellentes in dysenteria epidemica Lugdunensi præstiterit effectus.

." Drachma una pulveris Lysimachiæ bis vel ter per diem exhibita his in circumstantiis quoque diarrhœas pulchre sedavit. Idem præstitit cortex Simarubæ ". Ait *Störck* (z).

2° TAMARIX *Gallica. LINN.*
Tamarix altera folio tenuiore, seu Gallica. BAUH. pin. 485.
Tamariscus Narbonensis. LOB. Icon. 218. *TOURN.* 661
Gallice, *Tamarisc.*
Belgice, *Tamarisch-boom.*

Crescit circa flumina in regionibus Galliæ australibus.

(y) Rat. med. Vol. I, p. 227.
(z) Bienn. med. An. I, p. 76.

Radices et cortices ad usum medicum commendantur, vi adstringendi maxime pollentes D. *Desbois de Rochefort* (*a*) eam magni facit: obstat infit euacuationibus serosis, fluoribus albis, fluxibus alvinis.

Datur forma pulverum dosi xx vel xxiv. granorum indies; forma decocti adhibetur unc. sem., unc j., unc. i. et sem.; coquitur autem in aquæ lib. iv. ad remanentiam lib ij. vel j. et sem. Componitur quoque vinum medicatum.

3° POLYGONUM *Aviculare. LINN.*
Polygonum latifolium. BAUH. pin. 281.
Polygonum mas. DOD. pempt. 113.
Gallice, *Renouée.*
Belgice, *Verkens gras.*

Abundantissime juxta vias publicas et in locis incultis invenitur.

Vis adstringens Centinodiæ tam egregios produxit effectus in laxitate, dysenteriæ sequela; ut *Chomel* (*b*) illam in hanc infirmitatem specifici adinstar existimet. *J'en ai vu de si bons effets que je l'estime comme nn spécifique dans ces maladies.* Inquit.

Præscribitur ejus succus ad unc. ij. vel iij. pro dosi. Etiam fit ptisana, aut infusio in vino rubro, contra dysenterias vel hæmorrhagias.

4° VALERIANÆ *Officinalis radix*,

Quæ juxta *Cartheuserum* (*c*) cunctas possidet Simarubæ virtutes, at paulo gradu inferiores.

5° Numerat mox citatus Cel. *Chomel Quinquefo-*

(*a*) Ibid. Tom. II, p. 51 seq.
(*b*) *Plant. usuell. T. II, p.* 575. Vid. etiam GEOFFROY, Mat. med. T. IX. p. 42.
(*c*) Mat. med. T. III, p. 68.

linum majus repens. BAUH. *pin.* 325. inter remedia certissima contra alvi fluxus et dysenteriam : " Sæpe mihi successit ait, quum Ipecacuanha nihil boni effecerat ".

6°. Commendatur pariter *Tormentillæ* radix, quæ inter stiptica apud plurimos Practicos sic potita est primitu, ut, judice *Ludovici*, omnium instar haberi possit (*d*). Igitur in sequente dysenteriam laxitate cum primis *Simarubæ* substituitur.

7° In eumdem scapum tandem qua Simarubæ succedaneum suggeritur *Cortex Quercinus* (*e*).

SPERMATI CETI

SUBSTITUITUR

BUTYRUM RECENS non salitum.

Hanc substitutionem suggerit *Herrenschwant* (*f*). Etiam proprietates utriusque eam suadent ; nullam etenim possidet Sperma, qua Butyrum careat. Adhæc prius vix invenitur non rancidum, ùt semper et ubique expertus sum.

Confer. quæ diximus Art. *Amygdalus exotica*, pag. 9.

TAMARINDIS. Vid. Art. CASSIÆ, pag. 30.

TEREBINTHINÆ *Chiæ* vel *Cypriæ*

SUBSTITUITUR

ARGENTORATENSIS seu ABIETINA nec non

(*d*) LUDOV. Pharmacop. p. 337.
(*e*) Vid. BURTIN Ibid p. 140.
(*f*) *Méd. domest. Berne*, 1795. p. cvii, N° 185.

illa quæ ex *Larice folio deciduo conifera* obtinetur.

Hæ tres species Terebinthinæ vix inter se differunt, quamvis ordinarie præferatur *Cypria (g)*. Dein vid. Art. *Bals. Copayvæ*, pag. 22, et *Pini rusticæ*, pag. 245.

THERIACÆ *Londinensi*

SUBSTITUITUR

Quoad usum externum, docente Collegio Medico Londinensi; Cataplasma de Cumino. Id, inquit Collegium (*h*), quantumvis simplex iisdem scopis satisfacit.

TRAGACANTHO (*Gummi*) *Montis Libani*

SUBSTITUITUR

INDIGENUM.

ASTRAGALUS *gummifer* qui gummi illud largitur, crescit naturaliter in monte Libano, ad altitudinem 1800 metrorum supra libram maris. " Utile foret ait D. *Desfontaines (i)*, propagare illum fruticem in Departementis nostris meridionalibus; sed cùm calor hic minor sit, quam in regione ubi sponte crescit, deberet in locis minus elevatis coli, in declivi montium calcariorum, ubi nix disparet exeunte Aprili.

(*g*) *Vid. Pharmac. de Londres*, *Paais*, 1771. *T. I*, *p.* 376.
(*h*) Pharm. Lond. Parif. 1771, in præfat. p. cxli. seq.
(*i*) *Histoire des arbres et arbrisseaux qui peuvent être cultivés en pleine terre sur le sol de la France. Paris*, 1809. *T. II*, *p.* 317.

UVÆ URSI *Hispanicæ*, *Helveticæ* et *Anglicæ*

SUBSTITUITUR

1° GALLICA. Vid. Art. POLYGALÆ, N° 2, pag. 249.

D. *Hopsomere* Concilii Legislatorii quondam membrum, magnum in nosocomii usum misit mihi istius plantæ adhuc virentis et in horto suo circa Gandam cultæ quantitatem; nec in hortis nostris hæc planta rara est.

De effectibus comparative ad folia exotica quæ in pharmacopœis emere solemus, nihil statuere valeo, quandoquidem ut dixi, in omnibus ferme officinis folia Uvæ ursi foliis Vaccinii vitis Idææ sint mangonisata, imo in aliquibus non dentur nisi mera Vaccinii folia.

A longo tempore tum pulvis tum decoctum illorum contra calculum et alia viarum urinariarum vitia, passim felici cum successu, adhibentur, quod experimentis Cel. *De Haen* satis confermatur. Ego sæpe pulverem ad drachmas duas vel tres quotidie in calculosis affectibus præscripsi, idque summo cum ægrorum solatio.

Planta odore caret, roborans, adstringens et excellenter diuretica dicitur: *Cullen* eam summo gradu adstringendi virtutem possidere affirmat *(k)*. Adhinc aliquo jam tempore noveramus folia *Uvæ ursi* continere principium quod cum solutione Sulphatis ferri attramentum constituere valet, sed hoc vel acidum gallaceum vel principium coriarium esse poterat vel utrum-

---

(k) Traité de mat. médicale, 10.me édit. T. IV, p. 15.

que. Id DD. *Molandri* et *Moretti* experimentis comprobârunt *(l)*.

Huic quoque substituitur

2° ALISMA, *Plantago. LINN.*
Plantago aquatica latifolio. BAUH. pin. 190. *et DOD. pempt.* 606.
Gallice, *Plantain d'eau.*
Belgice, *Water-Wegbree.*

In stagnis et amnibus obvia.

In substantia dantur folia pulverisata ad drach. j. pro qualibet dosi: in infuso calido aquoso pug. j. qualibet vice: ter in die.

Celeb. *De Haen* primus hanc substitutionem suggessit, dicens: " Amicus medicus celeberrimus laudes ad ,, me scripsit Plantaginis aquaticæ latifoliæ in infuso ,, aquoso propinatæ ad calculosos morbos, ut eam ,, cum *Uva ursi* viribus decertare arbitretur; factis ,, experimentis effectus egregios cum laudato Caro, ,, jam celebris nominis Auctore, fore ut evulgem ,, spero ". Verùm nihil, quantum scio, postmodum desuper scripsit.

Hanc bis exhibuit D. *Wauters (l)*. 1mo Civi Teneramundano conquerenti de dolore et pondere ad renes, de dolore circa glandem penis, et sanguinem cum urina reddenti quum iter faceret aut alias paulo vehementius sese excerceret. Id hic obtinuit drachmam hujus pulveris unam quotidie bis sumendo, ut longe minus prodiret sanguis, et dolor brevi penitus evanesceret, " Neque jam plus 8 menses ullum sensi dolorem " referebat postmodum æger. Nihil tamen calculosi aut gravellosi se excrevisse memoratur. Diu

---

(l) *Bulletin de pharmacie.* N° *II, premier ann. p.* 60.
(m) Diss. botanico-med. p. 79.

continuavit et adhuc de tempore in tempus hunc pulverem sumpsit. —— 2do Sartorio qui de dolorosa, frequentissima, admodum parca et intercepta sæpe urinæ excretione, de testiculi retractione, involuntariis erectionibus et quasi (ùt aiebat) strangulationibus penis querebatur. Præscripsit *Wauters* infusum aquosum hujusce Plantaginis, et post 8 dies indicavit ipsi ægrotus, quod se melius haberet; suasit medicus ut continuaret, et ipsum postea non amplius allocutus est. Verosimiliter sanatus.

3^tio D. *Demachy in novis act. Acad. Nat. Curios.* T. V, p. 195. testatur se *Bardanæ* decocto calculosos sæpe a gravella et parvis calculis liberâsse; unde Bardanæ non tantum diureticas, sed et lythontripticas vires adscribit. Igitur iis titulis cum Uva ursi comparari quiret.

INDEX

SUCCEDANEORUM.

A

INDEX SUCCEDANEORUM.

INDEX SUCCEDANEORUM.

PROBLEMA ALTERUM:

" Quibus adminiculis opportunissime ad usum
„ universalem redigentur pharmaca indi-
„ gena, ubi jam exoticis analogis virtute
„ paria aut superiora agnita fuerint"?

§ I.

De adminiculis istis in genere.

RESPONSO superiori exstruxi navem, jam agitur de ipsius usu, de navigandi methodo. Ut hanc pro Virorum Academicorum votis congrue doceam, mihi dumtaxat inquirendum puto in rationes quæ hactenus impedimento fuêre, quo minus succedanea nostra satis et debite adhibita fuerint? Id præstando sive obstacula hactenus habita evolvendo, facile, reor, se offerent media quibus nova hæc navis pharmaceutica Esculapici oceani fluctibus committatur et pleno ventu, pleno zelo, moveatur.

§. II.

Impedimenta præcipua ex parte Practicorum tria.

1.mum IGNORANTIA. Paucissimi sunt libri, qui de succedaneis exoticorum ex professo agunt, et pauci sunt medicinæ cultores qui libros illos emere et pervolvere satagunt, contenti iis quæ de exoticis sciunt et ab exordio studii sui medici didicerunt. Sic succedanea ignorantur: *Ignoti* autem *nulla cupido.*

2.dum SUCCEDANEORUM DESPECTUS. Soli-

tum est hominibus pertinaciter adhærere opinionibus quibus diu fuerunt imbuti, ac aversari ea quæ aliquatenus illis contraria videntur; in tantum *l'habitude est sans raison!* Ut loquitur *Burtin (a)*. Quotidie inquam experimur, etiam in rebus maxime evidentibus, homines ab antiquis suis habitudinibus ægerrime dimoveri ut nova etiam meliora amplectantur. Nulla in re id manifestius accidit ac in negotio Vaccinationis.

Verum, fateor, non omnis despectus vanus; hunc etenim pariunt nonnunquam vana succedaneorum encomia et insulsa medicorum jactantia, quibus decipiuntur sinceri ipsorum asseclæ, qui promissos effectus haud observantes, indignabundi ab eorum usu resiliunt, diffidunt et omnem protinus substitutionem atro carbone notant.

3.tium ADINVENIENDI DIFFICULTAS. Practici tandem docti et rationales, qui præstantiora succedanea apprime norunt imo et approbant; tamen quantovis patrio pleni amore, in praxi sua vix aut nunquam ea præscribunt, ratum habentes, pharmacopolas iis plerumque carere, et nonnullos illorum in hoc casu *quid pro quo*, pro manca sua in medicis scientia, substituere.

§. III.

Ex parte pharmacopolarum obstacula duo sunt:

1.mum MODICUM LUCRUM. Hoc sane summum obstaculum est. In taxis Collegiorum medicorum indigenis medicaminibus vilissimum pretium statutum est, et ultra illud ea vendere leges vetant: exoticis vero pretium ita statutum est, ut lucrum ex horum venditione resultans prius longe exsuperet.

(a) Ibid. p. 149.

2.dum INCOMMODUM. Substantiæ exoticæ ab exteris probe collectæ, mundatæ, siccatæ, præparatæ, ad nostros pharmacopœos transportantur; sic parvâ aut nullâ curâ conservantur. Aliud est pro medicaminibus indigenis, quæ vel ipsi in horto suo colere, vel abs ruricolis empta sæpe adhuc mundare, siccare, præparare debent.

§. I V.

Modus quo obstacula ex parte medentium tolli possent.

INGNORANTIA tolleretur, si omnibus medicis, chirurgis, officiariis sanitatis, herboristis, prospiceretur de opere aliquo continente descriptiones, vires, doses &c. remediorum indigenorum quæ a *Societate medica Burdigalensi* comprobabuntur Talem Pharmacopœam, sive Repertorium selectiorum indigenorum remediiorum hæc ipsa inclyta Burdigalensis Societas ex proprio scientiæ penu et ex hac aliisque mecum conflictantium æmulorum dissertationibus concinnare quiret, vel sola vel cum Commissione ab IMPERATORE NOSTRO nominanda, quæ componi deberet ex Viris doctis, expertis, prudentibus, animo systhematico exutis.

Deinde necessarium accideret, ut IMPERATOR lege sancire dignaretur, ne quis medentium hocce libro careat. Non erit admodum voluminosus consequenter nec sumptuosus: attamen ne quis desuper conquerendi ansam sibi dari arbitretur; sumptus impressionis, sive editionis possent desumi ex Concesso municipali. Deinceps singulus novus medicinæ aut chirurgiæ Doctor, novus officiarius sanitatis, novus pharmacopœus, novus herborista illum librum cum suo diplomate reciperet et solveret. Sic neminem cujus scire interest,

meliora succedanea, nec horum vires, nec doses, nec administrandi modus, laterent.

DESPECTUS seu Vituperium tolletur, si certis, particularibus, sufficientibus et evidentibus experimentis, non vero vagis encomiis et cumulatim citatis successibus succedaneorum virtutes probentur. Sic reluctantium aut saltem adhuc dubitantium practicorum animos violenter ad convictionem et assensum rapiemus, amorem indigenorum inspirabimus, æstimationem et fiduciam iis comparabimus.

ADINVENIENDI DIFFICULTAS tolletur, si pharmacopœi inducantur ut medicamina illa indigena sollicite colligant atque in debito statu, sufficienti copia, venalia conservent. Inducentur autem amore et timore, lucro et lege.

§. V.

Methodus tollendi obstacula ex parte pharmacopolarum.

MODICUM LUCRUM augeri deberet. Pharmacopœi quos vitæ institutum sive quotidianum lucrum alere debet, huic argumento jure merito instabunt: me judice ita res ordinanda foret, ut tantum ex venditione indigenorum substituorum lucrarentur, quantum ex venditione exoticorum, quorum in locum succederent. v. g. supponamus eos vendendo unciam unam Corticis Peruviani flavi lucrari francum *un franc*, desiderarem ut tantumdem lucrarentur vendendo id quod hujus medicaminis unciæ uni surrogamus, v. g. *Emulsionem amygdalarum centauriatam*, vel unciam unam et semis pulveris *Cort. Salicis albæ* vel *Florum Camomillæ &c.* et sic proportionatim ex duabus emulsionibus, vel ex tribus unciis Corticis Salicis &c. deberent lu-

crari duos francos. Itidem dicerem de dosi Arsenici, Opiive quæ Cortici substitueretur; idem adhuc de radice *Asari*, vices Ipecacuanhæ gerente: si vendatur v. g. *Pulv. rad. Ipecac.* drach. j. stuferis sex et exinde pharmacopola 4 stuferos lucretur, debet vendendo *Asari* drach. j., quæ priori surrogaretur, tantumdem sive etiam 4 stuferos lucrari, adeoque drachmam radicis Asari si sibi stufero constat, vendet 5 stuferis et æquale referet emolumentum ac vendendo Ipecacuanham.

Ita de cæteris omnibus lucrum fixum esse deberet supra qualecumque pretium valoris instrinseci; tum nihil interesset pharmacopolæ sive indigena sive analoga exotica vendat.

Commissio quæ Pharmacopœam indigenorum, de qua §. IV., concinnaret, singulo succedaneo approbato hac ratione pretium suum unà statuere posset. Alioquin reluctatio manebit æterna de qua *Simon Paulli*, ubi ait *(b)*: " Medicinæ candidatis maximopere sibi ejusmodi „ euporista commendata habeant, ob quæ ringi sinant „ pharmacopœos, ceu ex quibus paulum lucri cap- „ tare possint ".

§. V I.

His positis INCOMMODA MAJORA facile vilipendentur, sed pro majori securitate invigilandum specialter erit Professoribus Scholarum Membrisque Collegiorum medicorum (*Jurys medicanx*) ne pharmacopolæ quid in hisce colligendis, præparandis, conservandis, renovandis negligant; delinquentibus pœnam statuere posset IMPERATOR.

§. V I I.

Immensus fere est numerus succedaneorum, quæ ut

(b) Qaadripart. botan. p. 540

omnia pharmacopolæ sibi comparent et venalia habeant exigere insulsum imo ridiculum foret ; cum jaminde ipsa etiam exotica longe nimio reperiantur numero ; in tantum quidem , ut sagacissimi medici a multis retro lustris plurima minus utilia é pharmacopoliis ejecta cuperent. Ex introductione tot inutilium insigne damnum populo accedere arbitrabantur *G. Patin* (*c*), *Stahl* (*d*) , *Hoffman* (*e*) , *Boerhaave* (*f*) , *Van Swieten* (*g*) , *Cullen* (*h*) , *Rondeletius* , &c. Hic ita loquitur (*i*) : " Cum ægrotantium causa , Lutetiæ , ,, Antverpiæ , Lugduni , Romæ , Monspessuli , To- ,, losæ , aliisque multis locis versarer , multa super- ,, flua...... (pharmaca illic) cognovi ". Summi inter medicinæ practicos parva medicamentorum supellectile pro sua praxi contenti erant : exemplo sint *Sydenhamus* , *Radclivius* , *Meadius* , &c.

Necessaria igitur restrictior exoticorum succedaneorumque in pharmacopoliis conservandorum designatio. Solum pro exoticis magis energicis succedanea quærantur , et inter hæc efficaciora dumtaxat admitantur

§. VIII.

Nunc major quam olim spes affulget fore ut meliora remedia indigena in usum generalem assumantur : etenim ex quo exotica admodum difficulter obtinentur , medici plurimi qui antea indigenis et domesticis uti dedignabantur , ad ea jam quæ horti nostri , agri , sylvæ , prata , culina et cavea nobis suppeditant confugere cœperunt , nec incepti eos pœnitere novi. Quocirca præsens medicaminum exoticorum penuria ceu felix egestas et ad indigena in usum inducenda magnum et præstans illicium considerari valet.

(c) *Nouv. lett. I.* 138, 208. (d) Not. ad Satyr. Harv. 17, 32, 111. (e) Diss. de medicam. virt. dignosc. 3, 4, 5. (f) Orat. qua repurg. med. facil. adseritur simpl. (g) Comm. aphor. 1147. (h) *Traité de mat. méd. T. II, p.* 51. (i) Op. omn. Genevæ, 1628. p. 1123.